



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio IX. De essentia quantitatis, distinctionibusque & competentibus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)



TRACTATUS III.

De proprietatibus & affectionibus corporis.

Agemus imprimis de quantitate, postea de motu, denique de loco. Sit

DISPUTATIO IX.

De Essentia quantitatis distinctionibusque
ei competentibus.

Methodus exigit, ut primùm essentia
quantitatis examinetur.

QVÆSTIO I.

De primo essentiali conceptu quantitatis.

Examinabimus imprimis aliorum sententias,
postea tenendam, adferemus.

DIFFICULTAS I.

*An habere partes entitativas, sit primo es-
sentialis conceptus quantitatis?*

Docent Thomistæ, de ratione Quantitatis
esse, conferre partes entitativas. Con-
sentit etiam noster Vasquez. Quod ut exa-
minetur. *Sit*

Punctum Difficultatis I.

Quid Tenendum?

DICENDUM est. Primò essentialem conce-
ptum Quantitatis non esse, conferre partes
entitativas.

PROBARI solet I: Quantitas distinguitur
à prima Materia: vel, si nolis illam distingui,
præscinde eam mente, quæro independentem
ab illa quantitate, re, aut per rationem præcisam,
vel materia habet partes, vel non habet? si
habet, ergo illas non à quantitate habet: Si non
habet, Ergo Materia prima, est simplex, & in-
divisibilis.

RESPONDERI potest huic argumento; con-
cedendo quòd Materia prima, independentem
à quantitate, sit indivisibilis.

INSTABIS. Ergo Materia, independentem à
quantitate, erit ita simplex ac Angelus, vel ani-
ma rationalis.

RESPONDETUR. Seclusà quantitate, in ali-
quo genere, ita se habet materia prima ac Ange-
lus, vel anima rationalis; nec id involvit ullum
absurdum; certè enim in sententia constituente
conceptum primarium quantitatis in impen-
etrabilitatis exigentia, seclusa quantitate, æquè
est materia penetrabilis, ac anima rationalis,
neque tamen in hoc est ullum absurdum.
Æquè item non componitur ex duabus parti-
bus physicis, Materia, ac Angelus, nec inde ta-
men sequitur, intra eundem gradum simplicita-
tis, utrumque esse. Dicit itaque potest, ratio-
ne molis corporeæ, adhuc illam Materiam non
fore ita simplicem. Dicit etiam posset quòd
independentem à quantitate, habeat virtualiter
partes Materia, sitque divisibilis virtualiter,
quæ

quæ divisibilitas in hoc stabit; quod sit semper habens vim, fundandi & emanandi quantitatem, & quod habeat molem, quæ apta sit evolvi, parte: fierique ut ita dicam, per additam quantitatem. Inde autem non sequitur, simpliciter esse divisibilem Materiam, independentem à quantitate; quia non est licitum, argumentari à restricto ad irrestrictum. *Neque valet, si dicas:* hoc videri dissonum Dialecticæ, docenti, valere consequentiam à gradibus inferioribus, qui utique sunt restricti ad superiores, qui sunt irrestricti, non inquam valet, si id dicas, quia si valet consequentia à restricto ad irrestrictum, Ergo si ego dicam, *Æthiops est albus:* Item si dixerò est propositio æternæ veritatis: Homo est animal rationale, potero etiam dicere, est propositio æternæ veritatis, Homo est. Dandum ergo est taxativum, quando nam subtilibus teneat consequentia, quando non teneat. Et potest esse hoc. Ab inferiori ad superius tenet consequentia, à restricto hoc est dicto secundum quid, non tenet consequentia ad dictum simpliciter. Cujus ulterior hæc ratio est. Quia ut prædicatum verificetur de subiecto, debet esse identitas prædicati & subiecti; Quia autem est Identitas inferioris, cum superiore, eo quod superius sit totum potestativum, continens in se potestatem inferius, hinc fit, ut teneat consequentia ab inferiori ad superius. Quia autem non est Identitas inter ly secundum quid, & inter ly simpliciter, si enim esset inter hæc identitas, vel utrumque esset esse secundum quid, vel utrumque esse simpliciter, ideo inter hæc non est identitas, adeoque nec tenebit consequentia, à restricto ad irrestrictum.

PROBARI solet II. Quantitas quæ in se habet partes ex quibus componitur, non communicat se ipsam subiecto per identitatem, sed per unionem. Ergo quantitas tantum habet hoc, quod est, illam ipsam in partes actu distinctas esse divisibilem. Ergo ulterius, si se ipsa Materia illa partes non habet, etiam per unionem quantitatis illas habere nequit: esse enim unitum extremo habenti partes, non est habere partes.

CONFIRMATUR. Quia quantitas communicat partes, vel quas in se habet, vel alias distinctas, non has quas habet, quia hæc sunt accidentales, at partes substantiæ, sunt substantiales; non etiam communicat partes quas non habet, seu partes distinctas à quantitate, quia quantitas nihil substantiæ producit, neque causat in aliquo genere. Ergo quantitas, nullas potest partes communicare substantiæ.

RESPONDERI potest huic argumento. Imprimis retorquendo argumentum. Quantitas quæ in se habet impenetrabilitatem, com-

municat se materiæ, nonnisi per unionem. Ergo quantitas tantum habet hoc, quod sit impenetrabilis. Ergo ulterius si se ipsa materia non est impenetrabilis, etiam per unionem cum quantitate, non erit impenetrabilis, quia esse unitum extremo impenetrabili, non est esse impenetrabile. Deinde si materia & se ipsa, & simul virtualiter non haberet partes, etiam accessu quantitatis non haberet partes, secus cum virtualiter illas contineat. Unde accessu quantitatis, haberet partes à materia, quæ antè accessum illius, nonnisi virtualiter habebantur. Sic in sententia non distinguente partes actu ante assignationem, assignatio confert actualitatem partium partes, quæ potentia nonnisi habebantur.

PROBARI solet 3. Substantia pedis, non est substantia capitis, potest enim substantia pedis corrumpi, non corrupta substantia capitis. Ergo substantia capitis distinguitur à substantia pedis: nam idem non potest corrumpi & non corrumpi, quæ tamen substantiæ distinguuntur, tanquam substantiæ partiales, quia si distinguerentur tanquam aliquid tertium, substantia pedis, non pertineret ad illud compositum, cum ergo pertineat, debet tanquam pars distinguui.

RESPONDERI posset. Quod substantia pedis à substantia capitis in ratione substantiæ, se ipsis distinguuntur, seclusa tamen quantitate non distinguuntur tanquam partes, quæ etiam illa seclusa non pertinebunt ad compositum tanquam partes. Sicut & in sententia negante formas partiales substantiales, independenter ab organisatione, partes illæ non sunt partes, licet in ratione substantialium, constituentur se ipsis. *Hinc aliter*

PROBATUR Conclusio. Vel præcedit quantitatem, entitas illarum partium, quas per te confert quantitas, vel non præcedit? Si præcedit. Ergo & confert entitatem partium quantitas ut supponitur, & non confert: quia ante accessum quantitatis, jam præsupponuntur. Quod si entitas partium non præcedit illam quantitatem, quæro, an illa entitas partium quas confert quantitas materiæ, sit substantialis vel accidentalis? si substantialis? Ergo erunt illæ partes Materia, utpotè partes homogeneæ; Sierunt Materia. Ergo non possunt produci à quantitate, quia Materia nonnisi creari potest, quantitas autem non creat. Rursus si partes entitativæ, quas confert quantitas sunt substantiales. Ergo quantitas panis, sunt partes substantiales panis, quantitas enim panis debet habere conceptum primò essentialem quantitatis panis, Ergo debet habere partes substantiales panis, quas per te primò dicit. Ergo ulterius, cum

cum in Eucharistia sit quantitas, erunt etiam partes substantiales panis, adeoque substantia panis. Quod si partes illae quas confert quantitas sunt partes accidentales, vel sunt partes, quas ipsamet quantitas entitas, in se importat, vel sunt partes quas causat à se conditio illa quantitas: Non primum, quia alias in sua entitate Materia nunquam haberet partes, quia entitas quantitatis, nunquam est entitas Materiae, consequenter & partes entitatis. Quantitatis, non possunt esse partes entitatis Materiae, habebitque se Materia in ordine ad habendum partes, sicut Angelus vel anima rationalis, si ei supernaturaliter uniretur quantitas, per cuius unionem aequè non haberet in sua entitate partes, ac ante non habuit, licet habeat partes quantitatis quae secum unita est. Quod si partes illae accidentales, sunt partes, quas causat distinctio à se illa quantitas. Ergo imprimis nunquam quantificaretur entitas Materiae, quia nunquam in sua entitate acquireret partes. Ergo ulterius quantitas est ens operativum.

RESPONDEBIS primò. Quod accessum quantitatis, praecedant partes virtuales.

CONTRA. Partes illae virtuales vel continent entitatem partium formandarum, vel non continent? redibitque argumentum factum.

RESPONDEBIS secundò. Partes virtuales, virtualiter continere entitatem partium formandarum.

CONTRA. Virtualis haec continentia partium formandarum, vel dicit negationem Physicae actualitatis, debita entitati partium, vel non dicit? si non dicit negationem. Ergo datur Physica actu actualitas entitatis illarum partium. Ergo illa non habebitur à quantitate: Si dicit negationem. Ergo illam actualitatem entitatis partium, primum confert quantitas, redibitque argumentum factum, qualesnam partes conferat.

RESPONDEBIS tertio. Quod aliud sit, quantitatem esse ipsas partes entitativas substantiales, aliud autem, quantitatem, posse facere partes substantiales. Primum illud, non habet quantitas ob rationes allatas; habet hoc posterius; ex priori autem non nisi, sequeretur dari partes substantiales panis in Eucharistia.

CONTRA. Quia vi argumenti facti, sequitur, quantitatem esse, ipsas partes entitativas substantiales, vel enim ante accessum quantitatis haberentur partes illae, vel non haberentur? si non haberentur. Ergo quantitas sunt illae ipsae partes: neque enim illas producere potest, ut probatum supra: Si haberentur. Ergo non conferuntur à quantitate: Neque valet, si dicas; ante accessum

materiae, antecedere entitatem partium, sed non antecedere partes entitativas; non, inquam, valet, si id dicas, quia inter entitatem partium, & partes entitativas, nullum est discrimen. Nam quamvis concedi possit, partes esse distinctas quoad entitatem, non tamen quoad esse formale partium. Id inde est. Quia aliunde sumitur ratio formalis partium & aliunde entitas, ut ex dicendis constabit. Sed ostendi non potest, aliud importari ab entitate partium, & aliud à partibus entitativis. Quod si ante accessum quantitatis dicas, non esse partes entitativas, in isto sensu, quia non sunt extremitates, evolutae &c. tunc jam quaestio erit non nisi de sola voce; an scilicet non habere partes extremitates, sit non habere partes entitativas.

QVÆRES: An sicut convenit Materiae habere partes entitativas independentes à quantitate? etiam conveniat divisibilitas earundem partium independentes à quantitate? Sed probabilius est, non convenire.

RATIO. Tum quia, quando partes sunt penetratae, accipitque Materia modum existendi, connaturaliter debitum non nisi entibus spiritualibus, posita item penetratione partium, manet entitas Materiae, partesque illius entitativae, & tamen non manet divisibilitas, quia in unaquaque parte, respondet totum. Ergo divisibilitas se ipsa non convenit Materiae. Tum quia non datur ulla extensio entitativa. Ergo nec divisibilitas entitativa. Antecedens probatur. Si enim daretur extensio entitativa, dicam etiam dari entitativam quantitatem, hoc est sequentem & identificantem ipsi entitati. Ergo nec dabitur ulla divisibilitas entitativa, non enim est maior unus ratio, quam alterius. Impenetrabilitas enim, extensio, divisibilitas, &c. videntur pendere à quantitate, & sicut non datur ulla entitativa albedo, vel calor entitativus, identificatus scilicet substantiae alicui, ita nec dabitur divisibilitas ulla entitativa. Tum quia, si esset aliqua ratio, ob quam divisibilitas conveniret materiae independentes à quantitate, id ideo esset, quia potest conservari una pars, non conservata alia parte; adeoque divisa ab alia parte. Sed haec ratio nihil probat. Quia quamvis v. g. Christi manus conservari posset sine corpore Christi, tamen supposito modo, quo existit in Eucharistia, non potest conservari manus sola, non servato toto corpore, quia in manu est totum corpus, & tota manus, in toto corpore. Ergo quamvis ante sublatam quantitatem, possit conservari manus, non conservato corpore, tamen sublatam quantitate, quando manus acquirit esse in toto corpore, & corpus in manu, non potest conservari manus, servato illo modo essendi, nisi con-

servetur & totum corpus. Tum quia nulla necessitas, & nullum fundamentum tribuendi hoc prædicatum materiæ, ad quid ergo hæc multiplicatio prædicatorum? Tum quia divisio non potest concipi sine extremitate; extremitas etiam sine quantitate, & quæcunque divisibilitas, independenter ab extremitate, consimilis erit ei, quæ convenit totis spiritualibus.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT primò Lugo, Vasq. Si substantia & reliqua accidentia secundum se haberent partes, & extensionem, alia non esset extensio constituenda, in qua essentia quantitatis, consistat.

RESPONDETUR. Hoc argumentum, non nisi probat, partes, independenter à quantitate, non esse extensas, divisibiles &c. quod & nos tenemus. Sed hoc non probat, quod partes substantia de se non habeat, certè enim illas ut probatum est, non accipit à quantitate, sicut accipit divisibilitatem, & quia nos, non concedimus independenter à quantitate ullam extremitatem illarum partium entitativarum, ideò, quantitas, adferens illam extremitatem, non erit otiosa.

OBJICIT secundò idem. Si substantia ex se partes haberet, peteret Ubi. Ergo peteret ubi divisibile, ita ut pars illius, parti spatii, & tota, toti spatio corresponderet. Quòd si tale ubi peteret, nec per Divinam potentiam posset indivisibiliter constitui, adeoque CHRISTUS indivisibiliter in Eucharistia poni non posset. Quòd si peteret, illa substantia habens partes, ubi indivisibile, non posset constitui sub quantitate, quin amittat propriam præsentiam. Quòd si dicas substantiam partes habentem, seclusà quantitate, nec petere divisibile ubi, nec indivisibile; Contra erit: quia natura est determinata ad unum, nec potest indiscriminatum unum, vel alium modum ipsius Ubi petere.

RESPONDET primò Oviedo. Substantiam esse indifferentem ad præsentiam, siue divisibilem, siue indivisibilem; seclusà quantitate. Illustrat hoc instantis. Una causa, est indifferens ad hos vel illos actus, una materia est indifferens ad hanc vel illam formam specie distinctam. Curigitur in substantia non erit indifferentia ad ipsum Ubi. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Videmus in natura non esse aliquas indifferentias. Unde etiam Ovied. eodem puncto. num. 13. sub finem negat, quòd substantia, possit sine quantitate præscindere, ab habere vel non habere partes entitativas. Et sicut non habere partes entitativas, & habere partes, procedit per prædicata

contradictoria; ita habere ubi divisibile, non habere ubi divisibile, procedit similiter per contradictoria, quid ergo horum convenit partibus substantiæ seclusà quantitate. Ex alia parte videmus etiam in natura, esse aliquas indifferentias; ut concedit ipse Oviedo. Cur ergo potius substantia cum suis partibus spectata, in ordine ad Ubi, non sequetur hanc partem entium negantium indifferentiam; quòd si negabit indifferentiam ad hoc vel illud Ubi, dicet determinationem ad Ubi, restabitque argumentum à Vasq. propositum solvendum. Porò ut dignoscatur; an ad aliquid sit indifferens, vel non indifferens substantia, quæ est à parte rei, pensandum est, an prædicatum, de quo queritur, sit intrinsecum an extrinsecum; & tunc ad intrinseca prædicata, & identificata nulla esset indifferentia; Si autem est extrinsecum prædicatum, pensandum est, an æquè se habeat res cum hoc, quàm cum alio, tunc enim dabitur indifferentia. Quæ tamen doctrinà posita, restabit querere, an æquè se benè habeant illa partes substantiæ, quantitate spoliata, cum *ubi* divisibili, ac cum Ubi indivisibili? *Ideò aliter*

RESPONDETUR secundò. Supposito, quòd inferius probatur, Ubi, esse ipsammet rei entitatem in recto; tunc dici potest, quòd illa substantia, secundum ea quæ illi iure naturæ debentur, petat divisibiliter existere, ad eum modum quo Sol connaturaliter lucem petit, licet illà divinitus carere possit. Jam autem substantia illa spectata, secundum quod extrahitur extra jus suæ naturæ, spoliaturque quantitate, petit ubi indivisibile actu, divisibile potentiâ: quia petit suam entitatem, quæ ratione partium entitativarum, est divisibilis potentia, licet ob defectum quantitatis, non sit tunc actu divisibilis; posita autem quantitate amittit proprium Ubi, sed amissione impropria, quia non amittit ullam entitatem, neque enim per nos *ubi* est entitas, sed tantum acquirit modum essendi, cum extensione, quam antea non habebat, retentâ eadem entitate habente partes, quam entitatem importat *ubi* in recto.

OBJICITUR tertio. Si dantur partes entitativæ in materia seclusà quantitate, faciuntne se cum compositionem vel non? si faciunt, Ergo erant divisibiles, contra quàm supra illatum est; nam omne compositum dividi potest; Si non datur compositio, quomodo habent rationem partium?

RESPONDETUR. Hoc argumentum solvendum esse ex dicendi de continuatione, quæ non involvit ullam modalitatem, sed solam carentiam terminorum. Licet ergo compositio per unionem, quæ importat modalitatem, arguat divisibilitatem, sed non unio identificata: nam si ipsum, cui identificatur non est divisibile ut probatum supra, adeoque separabile à separatione propriè dictâ; de qua supra. nec ipsa unio divisibilis erit, & separabilis ab illis, quæ unit, & qui-

& quibus identificatur. Tota ergo illa compositio in hoc stabit, quia scilicet sunt entitates plures penetratae, adeoque non habentes proprios terminos, ex vi autem penetrationis, ex vi item carentiae propriorum terminorum, non sequitur ulla propria compositio, cum tamen ex sola propria compositione, oriatur divisibilitas.

ADDO, quamvis non daretur ulla compositio, haberetur ratio partis, non quidem actualis, sed potentialis; & sicut non habetur distinctio in ratione partis nemine cogitante, ita nec habetur ratio partis formaliter, cuius oppositum supponit argumentum. Deinde ratio partis in materialibus, inter alia dicit negationem tantae extensionis, quantam habet totum: jam autem nec tantam, nec non tantam, dicit ulla illic entitas extensionem, cum nullam omnino habeat.

Sed contra illatum, quod scilicet Materia seipsa divisibilitas non competat.

DICES primò ex recentiori Suarez. Id quod est indivisibile, nec per Divinam potentiam reddi potest divisibile. Ergo si materia esset indivisibilis, neque dividi posset ratione quantitatis.

RESPONDETUR. Hoc argumentum multum probare: probaret enim duos semipalmos, non posse divinitus fieri palmum, qui de se non sunt palmi. Directè autem dici potest. Id quod est indivisibile ex accidenti, habet tamen partes entitativas, molemque corpoream, adeoque est divisibile potentia, posse dividi.

DICES secundò cum eodem. Demus extensam materiam per unam leucam, annihilatur in instanti ejus quantitas, eo casu aut partes extremæ remota confluent ad punctum, & hoc non; quia non datur tantus motus in instanti; aut non confluent sed manent extensæ, & sic jam admittis divisibilitatem in materia, sublata quantitate.

RESPONDETUR, eo casu redigendam materiam ad punctum, quod non fieret per motum localem, sed per solam desitionem quantitatis, & sicut sine ullo motu locali posset hunc aërem extensum, in instanti Deus reddere penetratum: Item sicut desinit anima informare corpus, vel incipit, sine ullo motu locali; sic per solam desitionem quantitatis, poterit in punctum redigi materia, sine ullo motu locali, quod etiam procedit in casu, quo in Eucharistia pars cum toto corpore, & è converso penetratur: quia id etiam fit sine ullo motu locali. Fundatur autem hæc instantiæ in hoc principio, quia potest Deus rem locare in loco sine ullo motu locali, adeum modum, quo illam produxit in loco, sine ullo motu locali.

DICES tertio ex Pontio. Non potest dubitari, quod substantia capitis hominis, separata quantitate, posset dividi & conservari à substantia manūs.

RESPONDETUR. Non posse dividi nisi divisione impropria. Imò absolute hoc negari potest, supposito quod partes hæc penetrarentur ut dictum supra de Corpore CHRISTI; dici etiam posset inmerito supponi, sine quantitate manere manum, vel caput, adeoque falsificantem esse hunc terminum: Unde illa conservatio unius partis sine alia, est non nisi in suppositione quantitatis.

DICES quartò. Sublata omni quantitate, posito etiam quod illa materia tota sit in toto, & tota in qualibet parte; posito item quod sit penetrata, numquid independenter à quantitate superaddita, non discernit Deus hanc partem fuisse substantiam capitis, & hanc partem fuisse substantiam pedis? Quod si illam discernit, etiam illam annihilare potest solam, adeoque dividere.

RESPONDETUR. Deum discernere quæ fuerit pars materiæ sub hac forma, quæ sub illa, sed simul dicendo hanc materiam esse totam in tota residua materia, & totam qualibet in parte, adeoque, non esse divisibilem divisione propria, consequenter in suppositione, quod illam velit esse in puncto, & sine quantitate, non potest velle unam potius, & non aliam partem servare.

INSTABIS. Potest Deus facere ut sublata quantitate partes materiæ non sint penetratae, & simul ut non habeant modum existendi rebus spiritualibus proprium, sed ut totum, occupet totum spatium, & partes entitativæ illius, partem spatii; quo casu, verè adhuc dividi sine quantitate poterunt.

RESPONDETUR. Negando id posse fieri, quia si id fieri posset, posset fieri beneficio entitativæ extensionis, hanc autem nullam esse, supra ostendimus.

DICES quintò. Quantitas est accidens extensum. Ergo debet præsupponere partes extensas, ut in illis possit recipi.

RESPONDETUR. Albedo est accidens disgregativum visus, nec tamen præsupponit disgregativum visus. Gratia item est accidens Deo gratum, nec tamen supponit subjectum DEO gratum, quod universaliter in hoc principium resolvitur, quia forma quamvis supponat potentia tale, non tamen debet supponere subjectum formaliter tale, sed reddere illud formaliter tale.

INSTABIS primò. Qualitas extensæ non possunt recipi in quantitate, nisi hæc esset extensa entitativè. Ergo nec ipsa quantitas potest recipi, nisi in partibus extensis.

RESPONDETUR. Quia qualitates redduntur extensæ, non nisi per quantitatem subjecti, de quo infra, hinc si non opponeretur subjectum extensum, hæc ipso non essent illæ qualitates extensæ, quantitas autem non accipit divisibilitatē à subjecto, sed illa secum adferre potest.

Rur-

Rursus qualitates extensæ idem sunt, quod qualitates materiales; neque enim datur ulla extensio, propria accidentium: Quod si sunt qualitates materiales, sunt qualitates indigentes, ut totæ in toto, & parsillarum in parte subiecti recipiatur; hoc ipso enim essent in connaturali subiecto, neque enim illud extendere possunt; cum autem quantitas ipsum subiectum extendere possit, adferreque sibi connaturalem modum existendi, hoc ipso non indigebit ullâ antecedenti extensione.

INSTABIS secundò. Si ipsa quantitas habet extensionem suarum partium entitativarum. Ergo & substantia seipsa, poterit habere extensionem entitativam.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Quia quod est ratio formalis alicujus; seipso, & aliis, & sibi, est tale. Sic albedo quia facit ut subiectum disgreget visum, seipsa etiam est disgregativa visus. Ita & quantitas, quia seipsa est extensiva subiecti, se ipsa erit etiam sibi extensiva. Jam autem nego rationem extensionis seipsa, competere substantiæ.

Hinc ulterius disparitas assignatur, quia non solum non est absurdum partes quantitatis se ipsis esse extensas, sed id omnino est necessarium, alias daretur processus in infinitum in ratione formali extensionis. Absurdum autem est, se ipsis partes substantiæ, habere extensionem entitativam. Rursus. extensio sequitur extremitatem, quæ quia competit seipsa quantitati, seipsa etiam competet extensio, quia autem substantiæ non competit seipsa extremitas, nec seipsa competit extensio. Denique sicut nullum est absurdum, accidens quod est quantitas, esse entitative extremitativum, cum tamen absurdum sit, substantiam seipsa esse extremitativam; ita nullum erit absurdum quantitatem seipsa esse extensionem, cum substantia non sit seipsa extensio, id quod ob proportionem: quia sicut nulla datur quanta entitative substantia, ita nec debet dari entitative extensa.

INSTABIS tertio. Partes illæ vel sunt distinctæ vel non distinctæ: si distinctæ, Ergo & divisibiles; si indistinctæ, ergo nec plures.

RESPONDETUR. Partes illas non esse distinctas nisi potentia, pluresque quoad esse partium, non nisi potentia.

DIFFICULTAS II

An divisibilitas & impenetrabilitas sit primò essentialis conceptus Quantitatis?

Vidimus quod actualis divisibilitas rei materialis, habeatur ratione quantitatis, restat discutiendum, an non sit primò essentialis quantitati, conferre hanc divisibilitatem?

DICENDUM est primò. *Divisibilitatem non esse primò essentialem conceptum quantitatis.*

PROBATUR primò. Quia primo essentiali conceptu nihil est prius, jam autem divisibilitas in ratione quanti, supponit prius, nempe extensionem partium, ad eum modum, quo scissio materialis, supponit rem scindendam. Unde etiam non ideo partes sunt extensæ, quia sunt divisibiles, sed ideo divisibiles, quia extensæ.

PROBATUR secundò. Quia potest aliquid in puncto collocari retentâ eadem quantitate, sed penetratis tantum inter se partibus, cujus penetrationis exemplum habetur in Eucharistia. Ergo saltem divisibilitas actualis, non erit de primo essentiali conceptu quantitatis.

PROBATUR tertio. Res spiritualis & non quanta dividi potest. Ergo divisibilitas, non est primò essentialis conceptus quantitatis. Antecedens probatur instantiis; nam imprimis potest dividi unus gradus gratiæ ab alio, item in sententia admittente unionem spirituales, potest una illius pars ab alia dividi, membro abscisso, & sic in multis aliis. Consequentia autem principalis per hoc probatur. Quia quod est de primò essentiali conceptu alicujus, illi non nisi soli, convenire potest, licet autem Aristoteles per divisibilitatem explicet continuum, explicat non nisi descriptivè, tanquam per aliquid aliquomodo notius.

DICENDUM est secundò. *Impenetrabilitatem non esse de primò essentiali conceptu quantitatis.* Est conclusio contra Arriag. Ovied. Pontium, & quidem quod impenetrabilitas actualis non sit de essentia quantitatis, constat exinde, quia retentâ quantitate, possunt se penetrare divinitus duo corpora. Restat controversia de existentia impenetrabilitatis, quam non esse de essentia quantitatis.

PROBATUR primò argumento communi. Quod sic proponitur. Vel quantitas exigit impenetrabilitatem respectu cujuscunque entis, vel tantum respectu certorum entium: Non primum: Quia quantitas non exigit ne penetraretur à spiritibus, quod ipsum in hoc resolvitur, quia ista impenetrabilitas exigitur à corporibus ad possessionem loci, per quam excludant se mutuo, bene autem in eodem loco stare possunt, Quantum & Spiritus, imò etiam corpus quantum sed glorificatum, titulo doni penetrabilitatis: Non etiam dici potest secundum; quia quæcunque sunt entia, respectu quorum quantitas exigit impenetrationem, hæc ipsa sunt quanta. Ergo explicare quantitatem per impenetrationem quantitatum, est explicare quantitatem per quantitatem, adeoque obscurum per obscurum. Consequentia probatur. Quia in ista sententia, si queratur, quid sit quantitas? respondebitur est accidens exigens impenetrationem: Si queratur quid est exigere impenetrationem? est exigere ne corpus

† y

Quan-

Quantum insinuet se in intimas partes hujus Quanti; restatq; querere quid corpus quantum, quæ item partes quanti?

PROBATUR secundò. Si primò essentialis conceptus quantitatis, esset exigentia impenetrabilitatis, deberet esse exigentia talis, ut nec divinitus stante quantitate res penetrari posset; sed potest penetrari ut ipsi oppositi docent; dicunt enim impenetrabilitatem competere quantitati, per ordinem ad potentiam naturalem, sequela autem principalis probatur. Primò essentialis conceptus Angeli, est, esse substantiam intellectivam completam: Primò essentialis conceptus hominis est esse animal rationale radicaliter acceptum, quæ radices (& sic de reliquis) sunt tales, ut nec divinitus quidquam agi possit, quod sit contra illam exigentiam.

RESPONDEBIS primò. Quamvis penetretur quantitas, semper tamen manet primò essentialis conceptus, nempe exigentia, ne penetretur.

CONTRA. Quia non tantum est in homine exigentia ut sit animal rationale, sed actu nihil illi oppositum fieri potest. Ergò idem in præfenti fieri debet.

RESPONDEBIS secundò. Rationale potest assumi à DEO ad producendum actum rugiendi, quamvis non vitaliter, imò de facto rationale, exercet actiones sensandi. Ergò etiam & exigentiæ impenetrabilitatis, oppositum fieri potest.

CONTRA. Quia quod actum rugiendi possit producere, licet non vitaliter, rationale, solum resolvitur in hoc principium, quia quidlibet potest fieri à quodlibet, quod ab illo fieri non repugnat, nec datur exigentia essentialis ne eleveetur ad producendum aliquid, quod naturaliter producere non potest, nec contraveniretur prædicato rationalitatis, quia per productionem illius actus, non reddetur rationale actu irrationale, adeoque nec sequeretur contraventio exigentiæ essentiali; jam autem si penetraretur actus quantitas, supposito quod impenetrabilitas sit primò essentialis conceptus, contraveniretur exigentiæ essentiali. Et tamen sicut rationale, non potest actu fieri irrationale, retentâ exigentiâ rationalitatis, ita nec quantitas poterit esse actu penetrata, supposito quod impenetrabilitas sit de essentia illius. Actus autem sensandi potius debet exercere rationale, quia rationale est discursivum dependenter à phantasmatibus, adeoque à sensibus & sensationibus.

RESPONDEBIS tertio. Est exigentia in forma materiali, ut esse & conservari non possit, nisi in subiecto; & tamen huic exigentiæ, oppositum fieri potest.

CONTRA. Quia imprimis non est de primò

essentiali materialis formæ conceptu, ut esse & conservari non possit nisi in subiecto, sed id est de ratione non nisi formæ eductæ; nego autem quod detur forma simpliciter educta, quæ tamen non actu sed potentialiter non nisi in esse & conservari pendeat à subiecto. Saltem enim debet dari suppletivum aliquod, si, sit, & conservetur independenter à subiecto, quod suppletivum facit ut verum sit dicere: quoddam, sit, & conservetur dependenter à subiecto æquivalenter quodammodo. Hæc tamen retorlio est bona. Hinc aliter

PROBATUR tertio. Primò essentialis conceptus debet esse talis, ut nulli alteri formaliter, competat etiam divinitus, & ita non potest esse etiam divinitus animal rationale nisi homo, hocq; ipso daretur ens rationis, si essentia unius esset essentia alius. Sed impenetrabilitas hoc non habet, quod probatur. Possibilis est aliqua qualitas spiritualis, quæ appositæ enti corporeo vel spirituali, reddat illud impenetrabile, quæ tamen qualitas non erit quantitas, quia potest nullam dicere extensionem, possibilisq; est qualitas condistincta à quantitate, reddens tamen ens impenetrabile, sicut opposita alia datur qualitas, v.g. corporis glorificati, quæ adfert penetrabilitatem. Et si dicas hoc ipso illam qualitatem fore quantitatem, quia adferet impenetrabilitatem, Hoc ipsum erit quod negabitur.

Obijcit primò Ovied. Punctum habet essentiam quantitatis, & tamen neque habet extremitatem partium in ordine ad se nec in ordine ad locum, nec ullam divisibilitatem, & tamen habet impenetrabilitatem. Ergò impenetrabilitas est primò essentialis quantitatis conceptus.

RESPONDETUR. Nego in sententia Aristotelis puncto impenetrabilitatem convenire, de quo infra, sed posito, quod etiam conveniret illi impenetrabilitas, negari potest puncto convenire debere essentiam quantitatis.

Obijcit secundò idem. Possibilis est quantitas indivisibilis, quæ certe non esset extensa, sed ex eo solum foret quanta, quia esset impenetrabilis. Ergò essentia quantitatis, sola stat impenetratione.

RESPONDET primò recentior Suar. Negando possibilem esse talem quantitatem, rationem dat. Tum quia repugnat corpus simplex. Tum quia talis quanti medietatem posset Deus annihilare. Tum quia, si tali quantitate constaret v.g. palmus, ille palmus haberet duos semipalmos, quorum quilibet excluderet alium, hoc autem est esse extensum. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia negatur implicare corpus simplex. Tum quia est petitio prim-

principii, scilicet illius quantitatis medietatem esse annihilabilem, siquidem argumentum assumit illam fore indivisibilem. Tum quia, quando unus palmus excludit alium, hoc facit, non penetrando illum, hinc petendo non nisi principium, ad probandum illi quantitati competere impenetrabilitatem, assumitur, competere illi, quod unus palmus, excludat alium.

RESPONDETUR secundò. Si procedat argumentum de quantitate, quæ non sit punctum & tamen sit indivisibilis, poterit adhuc salvari quantitas ratione extremitatis partium in ordine ad se, quæ competere potest etiam rei indivisibili & penetrata, ut contingit in Eucharistia.

OBJICITUR tertio. Omni quanto soli & semper convenit impenetrabilitas. Ergo est illa definitiva quantitas, adeoque primò essentialis conceptus illius.

RESPONDETUR, quod impenetrabilitas non omni nec semper quanto competat, arguit ipsa actualis penetratio, ut assumptum est in argumento tertio. Deinde ad primum essentialem conceptum requiritur, etiam ratio primi, hinc quamvis omni homini, soli, & semper competat risibilitas, nihilominus esse risibile, non est definitivum hominis nec primò essentialis illius conceptus: non habet autem impenetrabilitas in quantitate rationem primi.

DIFFICULTAS III.

An extremitas partium in ordine ad se, sit primò essentialis Conceptus quantitatis?

RESUTATIS prædictis sententiis, restat ut concludatur de primò essentiali conceptu quantitatis, de quo sit

Punctum Difficultatis I.

Proponitur Conclusio & probatur.

DICENDUM est. *Primò essentialem conceptum quantitatis, esse, Extremitatem partium in ordine ad se.*

EXPLICATUR CONCLUSIO. Extremitatem duplicem communiter attribuunt Philosophi, quantitati, primò extremitatem seu extensionem partium in ordine ad se, secundò extensionem partium in ordine ad locum. Extensio partium in ordine ad se, in hoc stat, quod quantitas reddat corpus ita se habens, ut licet partes omnes eodem loco concludantur, non omnes tamen immediate uniuntur omnibus, sed hæc quidem illi, illa alteri. Et ita caput Christi in Eucharistia immediate unitur collo, & non pectori. Quod ipsum non ita est intelligendum, quasi ratio uniti habeatur à quantitate, hæc enim habetur ab unione, sive illa sit distincta, sive indistincta, sed quod ratio successione, (ut ita dicam) colli ad caput, humeri ad collum, habeatur ab ex-

tremitate collata à quantitate, quod etiam infra repetitur. Extensio autem partium in ordine ad locum in hoc stat, ut corpus parte sui, partem loci, & toto se, totum locum occupet. Quam quidem extensionem partium in ordine ad locum, dupliciter accipere insuper possumus. Primò cum actuali commensuratione ad locum, & hæc communiter non dicitur esse, de primò essentiali conceptu quantitatis, defecto enim Christus in Eucharistia retinet suam quantitatem, & tamen pars corporis illius, non respondet parti loci. Secundò, sumi potest extremitas partium in ordine ad locum non actualis, sed aptitudinalis, per quam connaturaliter exigit parte sui, partem loci, toto se, totum suum locum occupare, quo sensu hanc sententiam defendit recentior Suar. Metaph. Tract. 3. l. 25. Sed in contra.

PROBATUR CONCLUSIO primò. Ad primò essentialem conceptum requiruntur tria. Primò, ut sit ita primus ne detur illo prior. Secundò, ut reliqua illius entis prædicata in illo infundantur. Tertio, ut soli illi enti competat. Sed hoc totum conveniet extremitati partium in ordine ad se, per ordinem ad quantitatis conceptum.

QUOD PRIMUM probatur Minor. Quia sicut ipsa entitate rei nihil est physice prius in re, ita & partibus illius, adeoque & extensione earundem per ordinem ad se, quid enim est hoc prius? Deinde prius est, rem esse in ordine ad se, quam in ordine ad aliud. Ergo etiam prior est extremitas in ordine ad se, præ extensione etiam aptitudinali in ordine ad locum. Denique non videtur per locum intrinsecum sequi, ex impossibilitate loci, impossibilitas quantitatis. Ergo locum, in suo conceptu, non debet dicere quantitas.

QUOD SECUNDUM probatur Minor. Bona est hæc consequentia: Corpus est impenetrabile, ergo habet extensionem partium in ordine ad se; Bona item hæc consequentia: Corpus habet extensionem aptitudinalem in ordine ad locum. Ergo etiam habet extensionem partium in ordine ad se. Bona item hæc consequentia: hoc corpus est divisibile quantum est ex se. Ergo habet extensionem partium in ordine ad se. Ex quibus & aliis colligitur nullum prædicatum esse reperibile in quantitate, quod non præsupponat extremitatem partium in ordine ad se.

QUOD TERTIUM probatur. Si enim alicui competeret extensio partium in ordine ad se, & non quantitati, competeret maximè ipsi entitati rei: Sed hoc non potest dici, quia nulla datur aptitudinalis locabilitas, impenetrabilitas, vel divisibilitas entitativa, independenter à quantitate. Ergo nec extremitas partium in ordine ad se, entitativa. Et si daretur entitativa extremitas independenter à quantitate, daretur

† y 2

æquale

æquale vel inæquale independenter à quantitate, ratione scilicet extensionis illarum partium, consequenter daretur species quantitatis, hoc est æquale vel inæquale sine genere, quia sine quantitate.

PROBATUR secundò. Primò essentialis conceptus quantitatis, non est divisibilitas, ut probatum, nec impenetrabilitas, nec extensio partium in ordine ad locum aptitudinalis, ut probo. Ergò sola extensio partium in ordine ad se, erit iste conceptus, quid enim præter hæc importat quantitas? Quòd autem aptitudinalis extensio in ordine ad locum non sit primò essentialis conceptus. Sic probatur. Quia impossibili omni loco, possibilis adhuc esset quantitas, quæ enim in hoc implicantiæ?

PROBATUR tertio. Quia videtur Aristoteles in hoc constituisse essentiam quantitatis; dicit enim *continuum esse divisibile in ea quæ insunt*, ubi per divisibile non intelligit meram partitionem, non enim daretur partitio, redacta ad punctum quantitate, & tamen manere posset quantitas. Debet ergò potius nomine divisibilis, accipere extensum vel extreisatum, hoc enim ipso, quia hoc non est unitum huic, est divisibile ab hoc, termini autem illi, *in ea quæ insunt*, videntur idem importare, quòd ad partes in ordine ad se.

Punctum Difficultatis II.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT primò Pontius. Extremitatem partium in ordine ad se, seclusà omni quantitate, continet materia. Ergò hæc extremitas non est de primo essentiali conceptu. Antecedens probatur. Substantia hominis independenter ab omni quantitate exigit partem substantialem manûs, pedis &c. & illæ partes semper sunt extensæ invicem, nisi fiat miraculum, ad eum planè modum, quò quantitas, se ipsa exigit, ut partes illius quoad se, extremitatem habeant.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, seclusà enim quantitate, non erit figura manûs, figura enim revocatur ad quantitatem, quòd si illuc non erit figura manûs, nec erit manus. Sed quidquid sit de hoc, dici potest quòd substantia hominis exigit manum & pedem divisibiliter & extensè ponibilem, naturaliter loquendo, quia etiam exigit quantitatem, sed non exigit pedem divisibiliter & extensè ponibilem, in ordine ad se, independenter ab exigentia quantitatis, sine qua haberet partes intra se, non extra se, haberetq; partes entitativas, non partes cum extremitate, in ordine ad se. Dici etiam potest, quòd substantia hominis completè spectata, deponat etiam quantitatem, aliaq; accidentia, quòd conformiter defendi debet ad dicta circa formas partiales. Quare autem, licet se ipsa habeat quantitas partes extra partes, non sequatur ma-

teriam se ipsa habere partes extra partes, id defendi debet conformiter ad dicta supra in simili, de divisibilitate. In sententia autem admittente formas partiales, dici potest substantiam hominis, non exigere extremitatem illarum partium, seclusà quantitate, sed solas formas illas substantiales, earumq; ad materiam unionem, extremitatem autem ipsarum partium habere ratione quantitatis.

INSTAT primò idem. Substantia hominis connaturaliter loquendo exigit manum, non esse unitam immediate pedi. Ergò exigit habere partes extra partes.

RESPONDETUR. Substantia hominis, sicut connaturaliter exigit habere quantitatem, ita exigit connaturaliter manum, non esse immediate unitam pedi; independenter autem à quantitate, non exigit immediate illam unitam pedi, nec mediatè: Non immediate, quia hoc esset exigere contra symmetriam à natura intentam; non mediatè, quia si hoc exigeret, exigeret dependenter à mediis; ut autem non nisi mediatè collum uniatur pedi, id habetur tantum à medio, à quantitate; consequenter substantia hominis exigit manum non esse immediate unitam pedi, sed non nisi dependenter à quantitate.

INSTAT secundò idem. Prius est habere substantiam partes substantiales extra partes, & unitas, ita ut immediate manus non uniatur pedi, quam habere quantitatem, quòd ipsum probat. Quia de conceptu corporeæ substantiæ ut sic, est habere pluralitatem partium, per quod etiam condistinguitur à spiritali ente; hic autem conceptus non dependet à quantitate.

RESPONDETUR. Corpoream substantiam exigit pluralitatem partium, entitativarum, sed non extremitatem illarum, de contradistinctione autem corporis à spiritu in materia de Angelis dicitur.

INSTAT tertio idem. Substantia elephantis exigit maiorem quantitatē præ substantia hominis, cujus nulla alia ratio est, nisi quia plures partes exigit substantia elephantis. Ergò prius est habere substantiales partes, quam exigere quantitatē.

RESPONDETUR. Quòd substantia elephantis, maiorem exigit quantitatē, ratio est; quia plures quoad entitatem partes deponit, plus autem materiæ, deponit (nisi fiat rarefactio) plus quantitatis. Consequenter, est quidem prius habere partes substantiales quoad entitatem, quam habere quantitatē, sed non est prius habere partes substantiales extreisatas, quam habere quantitatē.

OBJICIT secundò idem. Substantia manûs distinguitur essentialiter à substantia oculi, quæ distinctio à quantitate haberi non potest, quæ est ejusdem rationis. Ergò substantia, habet plures partes integrales, & non à quantitate.

Re.

RESPONDETUR. Substantiam manûs & substantiam oculi, secundum quod hæc dicit aliam entitativè partem materiæ, aliam hæc, esse distinctas essentialiter, sed in ratione oculi & manus cum non dentur formæ substantiales partiales, esse distinctas non nisi accidentaliter, quæ distinctio potest esse speciei accidentalis, consimilis ei, quâ distinguuntur homo albus, & niger; petibilis etiam à distinctis specie figuris, sub eadem quantitate contentis. Independentem autem ab hac sententia distinguitur consequens. Ergo substantia habet plures partes integrantes, quoad entitatem & non à quantitate. Concedi consequentiam. Plures partes quoad extremitatem & non à quantitate. Neg. consequentiam.

INSTAT idem. Certum est quod non à quantitate habeat homo, quod oculus non sit unitus manui immediatè, cum enim quantitas sit ejusdem rationis, non potest concipi, quomodo faceret oculum unitum potius capiti, quam manui.

RESPONDETUR. Rationem unius præcisè non haberi à quantitate, sed rationem uniti cum extremitate, secundum rationem extremitatis, haberi à quantitate, ut autem immediatè vel mediatè aliquid uniatur, referri debet in exigentiam naturæ humanæ, talem sibi constitutionem corporis vendicantem.

OBJICIT tertio idem. Si substantia hominis spoliaretur in instanti suâ quantitate, quomodo hæc non occuparet eundem locum, & non haberet eandem extremitatem in ordine ad se?

RESPONDETUR. Ipsa ablatione quantitatis, sine ullo motu locali, redigendam illam esse in punctum ut dictum supra, dicitur quæ infra. Ut autem illa substantia confluat ad hoc potius punctum loci quam ad aliud, dico determinationem spectare ad Deum; casu autem quo Deus nollit hoc determinare, nec in priori etiam posset velle spoliare quantitate substantiam, quia velle spoliare quantitate substantiam, est velle spoliare extensione, velle spoliare extensione, est velle redigere ad punctum, velle autem redigere ad punctum est velle redigere ad punctum determinatum, neque enim potest in indeterminato puncto manere substantia, cujus determinatio cum à nullo alio fieri possit, fieri deberet à Deo, ex suppositione voluntatis spoliandi substantiam quantitate. An autem teneri posset, eò casu non redigendam ad punctum loci quantitatem, de hoc infra.

INSTAT idem. Nulla est ratio unde colligatur quod substantia accipiat extensionem partium à quantitate potius, quam quantitas à substantia.

RESPONDETUR. Cum non probetur rationem quantitatis in alio stare, quam in extensione partium in ordine ad se, hinc dici potest: Nulla ratio formalis hoc quod ipsa tribuit accipit à

subjecto, ita disgregativitatem visus, non desumit albedo, à pariete; Et quia ratio formalis quam tribuit quantitas, est, ex dictis rationibus, extensio partium in ordine ad se, ideo eam non debet accipere quantitas à substantia.

OBJICIT quarto Mastrius disp. 9 n. 4. Extremitatem hanc partium, habet substantia corporea ex se citra quantitatem; nam utique citra quantitatem distinguitur essentialiter à substantia spirituali.

RESPONDETUR in primis, non distinguitur corpus à spirituali per partes, hinc etiam indivisibile, sive continuativum, sive terminativum quantitatis, non est quid spirituale. Deinde si per partes, est necesse distingui rem corpoream à spirituali, licet extremitas partium entitativarum, pendeat à quantitate, cum in nostris principiis independentem à quantitate habeatur pluralitas partium entitativarum, per eas poterit distingui res corporea à spirituali re, idque dependentem à quantitate.

INSTAT. Cum quantitas in substantia recipitur, vel tota quantitas recipitur in tota substantia, vel pars in parte, vel tota in substantia indivisibiliter: Si primum? Ergo pluralitas partium substantialium in substantia præcedit quantitatem; Si secundum, Ergo accidens divisibile, recipitur in subjecto indivisibili.

RESPONDETUR. Quod recipiatur quantitas in partibus entitativis substantiæ, non tamen in partibus antecedenter extremitatis, nec enim illi, ut dictum aliàs, potest tribuere partes substantiales, sed illas supponit; licet partibus substantialibus tribuat extremitatem, estque alia pars quoad entitatem in capite, alia in pede, ita tamen ut illis entitatibus, extremitas, independentem à quantitate, non conveniat.

OBJICIT quinto. Aversa apud eundem in simili. Extensio hæc partium in toto, non est distincta à partibus entitativis, vel saltem non potest concipi sine illis, neque e contra: unde cogitari nequit substantia corporea, cum distinctione entitativa partium, sine unione & continuatione illarum ad invicem, nam si conciperetur sine unione illarum facta, per indivisibilia substantialia, jam non esset entitas corporea, sed potius indivisibilia resoluta, & si concipitur cum unione partium, concipitur necessarîo cum aliquo ordine illarum ad invicem, quia indivisibile quod copulat partem A. cum parte B. non utique copulat immediatè cum parte C, & nec mente concipi potest substantia corporea, sine tali ordine, ita ut unaquæque pars sit omnibus & singulis immediatè unita, & non potius una mediante alia.

RESPONDETUR. Admittimus quidem partes entitativas independentem à quantitate, sed non extensionem entitativam, licet extensio præsupponat partes entitativas. Unio autem partium, duplex cogitari potest, una localis, secundum

quam una penetrat aliam, & est illic, ubi est alia: & hæc non tantum non habetur à quantitate, sed potius excluditur. Alia unio successione, vel potius ipsa successivitas, in quantum extreitas huius, immediata est extreitati illi, quamvis localiter nulla sit extreitas, & hæc habetur à quantitate, negoq; illam haberi non posse in iis quæ in ordine ad locum extreitatem non habent. Immerito etiam supponit argumentum, dari indivisibilia substantialia continuativa. Sed quid sit de hoc: Concedo quod si conciperetur substantia cum unione successione, concipiatur necessario cum aliquo ordine illarum, ad invicem; sed nego hunc ordinem, vel potius extreitatem immediatam, haberi sine quantitate, quæ ablata, erit quidem entitas corporea, immo in nostris principiis etiam tunc habebit partes, non tamen divisibiles, quia divisibilitas tota habetur à quantitate, ut dictum supra. Nego ulterius non posse concipi substantiam corpoream, sine tali ordine extreitatis & successione, nec erunt tunc in illa substantia corporea solum indivisibilia resoluta, sed partes entitativæ plures penetratæ, & ob ablatam quantitatem hic & nunc, non divisibiles.

INSTAT primò Maftrius. Etiam talis ordo partium haberi potest sine quantitate, ut patet in corpore humano, quod ut sit idoneum animæ subjectum, petit talem dispositionem partium inter se, quæ appellari solet organisatio substantialis, sublata quantitate.

RESPONDETUR. In organisatione duo sunt, unum formæ partiales per alios, vel dispositiones accidentales, aliud ita formata materia & partium extreitas: prius illud habetur independentem à quantitate, sed negatur ibi haberi hoc posterius.

INSTAT secundò quidam. Hic conceptus quantitatis competit etiam intensioni, nam etiam gradus caloris ita exigunt uniri, ut primus non uniatur immediatè tertio, sed mediante secundo.

RESPONDETUR. Numeralis & computi extreitas, potest competere intensioni, vicijus, à secundo supponitur primum; sed non competit Intensionem de se, extreitas præexplicata.

INSTAT tertio idem. Posse hunc ordinem servari, etiam si materia spoliatur omni quantitate. Sed de hac instantia infra.

Punctum Difficultatis 3.

Quid sentiendum de Materia spoliata omni quantitate?

CONTRA prædictam Conclusionem posset adhuc obijci tale argumentum. Sublata quantitate non est necesse tolli unionem; si non tollitur unio: Ergò sublata quantitate, immediatè caput unitum manet collo: Ergò ulterius sublata quan-

titate, est extreitas partium in ordine ad se. Quod ipsum ulterius trahit secum hanc difficultatem, quia spoliata substantia omni quantitate, si non manet cum extreitate in ordine ad se, quod & quale spatium occupat? quæ difficultas est quidem superius tacta, repeti tamen altius debet.

Quoad primam partem.

ASSERO I. Sublata quantitate, posse saltem divinitus non tolli unionem substantialem. Quæ enim in hoc implicantiæ?

ASSERO II. Sublata quantitate, non tolli etiam unionem continuativam inter se. Ratio. Quia ut infra dicitur, unio continuativa nihil aliud est quàm negatio terminorum. ablatione autem quantitatis, nulli ponuntur termini.

ASSERO III. Sublata quantitate, quamvis non tollitur unio continuativa, non maneret tamen extreitas partium in ordine ad se.

RATIO, quia ante in statu scilicet habitæ quantitatis, ita erat unitum collum capiti, ut diceret ratione extreitatis, negationem unionis cum aliis partibus, quam negationem, jam non dicit, sublata quantitate, adeoq; nec extreitatem, in qua tamen extreitate stat quantitas. Et certè & esset tunc immediatè unita pars huic, & non alteri, & non esset: Esset ut supponitur, cum supponatur manere extreitas partium in ordine ad se; non esset autem, quia non potest immediatè uniri huic non nisi, quando absolute ab alia, nullam dicit extreitatem, non in ordine ad se, quia hæc habetur à quantitate quæ censetur sublata, non extreitatem in ordine ad locum, quia supponitur, tunc haberi penetratio.

Quoad secundam partem. Nempe quod & quale spatium occupet substantia spoliata omni quantitate?

Dici hæc possent. Imprimis, quod occupet non nisi punctum spatii, non hoc sensu, quod spoliata substantia designet in loco divisibili aliquid indivisibile, de quo inferius, sed quia in se spectata nihil divisibile habet, localitasq; illius intrinseca, est indivisibilis. Secundo. Cogitari posset, quod non redigatur quidem in punctum, sed occupet certum spatium, ita tamen ut totum sit in toto, & totum in qualibet parte, idq; idè, quia seclusa omni quantitate, entitas materiæ elephantis major est entitate materiæ formæ. Ergò & localitas, & sicut potest inæqualitas entitativa tribui independentem à quantitate, sic & localitas inæqualis, ita ut minoritas cum extreitate, possit competere substantiæ, independentem à quantitate, licet non minoritas cum extreitate. Et sicut Christus in majori hostia plus occupat spatii quàm in minori, nihilominus Christus in Eucharistia non habet extensionem localem. Ergò etiam si plus occuparet spatii moles corporea elephantis, præ mole formicæ, non inde sequetur haberi tunc extensionem localem, quia sicut Christus est utrobique

penc.

penetratus, & penetratio officit extensioni locali, ita & duæ illæ materiæ, supponerentur penetratæ. Tertiò cogitari potest. Quòd DEUS sublatâ quantitate contineat in eodem loco substantiam, impediâtq; penetrationem, ut si partes mandet teneri ab Angelis, ne coeant. *Quartò.* Cogitari potest, quòd replicet illam substantiam ut spatium idem occupet, quod antea occupabat. *Quintò.* Quòd illam colloct in toto illo spatio, ita ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte, ad eum modum, quo Angelus divisibilem localitatis sphaeram implet, sine ulla quantitate. *Ut hoc decernatur*

ASSERO I. *Illam substantiam occupaturam in divisibile spatium.*

RATIO, quia cum ipsa sit jam indivisibilis, ut potè carens omni extensione, quæ à quantitate haberi debet, nullum alium habet titulum, divisibile spatium occupandi.

ASSERO II. *Pluribus partibus entitativis Materie, v.g. elephantis præ materia v.g. formicæ, non debetur occupatio majoris spatii loci.*

RATIO. Tum quia, concessis pluribus partibus materiæ elephantis, præ partibus materiæ corporis formicæ, non sequitur, plus spatii mole suâ occupare debere materiam elephantis. Quod ipsum probatur. Quia in Eucharistia minùs materiæ debetur CHRISTI digito, quàm toti corpori CHRISTI, & tamen non plus occupat spatii totus CHRISTUS quàm ejus digitus. Ergò ex pluralitate præcisa partium, non sequitur occupatio majoris spatii. Tum quia tota occupatio spatii, non provenit ex mole, sed provenit ex extensione locali, & non penetratione simultaneâ, cujus oppositum, convenit illi materiæ. Ergò etiam ex vi ejusdem penetrationis, tantundem occupabit spatii, plus, aut illud quod minùs est, materiæ. Tum quia rationes in oppositum adlatæ non convincunt; nego enim dari ullam localitatem entitativam eamque divisibilem, sicut nulla datur divisibilitas entitativa, de quo supra; quòd debeat dari majoritas entitativa, deducitur ex illo principio, quia partes entitativæ præsupponi debent ante quantitatem: nullum autem principium est tribuendæ hujus localitatis: nec apparet quid sit minoritas cum intricare, si localitatem divisibilem in re materiali trahit. Quod adferebatur de duabus hostiis majori & minori, disparitatem habet; quia major illa occupatio in majori hostia, est propter majorem inibi quantitatem panis, cui unitur, & cujus conditionem sequitur corpus Christi, jam autem major quantitas, nò est in elephantis materia, cum supponamus totâ quantitatē sublatâ.

ASSERO III. *Sublatâ quantitate, non posse Deum continere partes in eadem extensione locali.*

RATIO. Tum quia & maneret corpus cum eadē extensione locali & nò maneret: maneret quidē ut supponitur; non maneret autē; quia tota ratio talis ejus extensionis, est quantitas, quæ si sublata est, etiam talis locatio auferri debet. Quod

universaliter in hoc principium resolvitur. Quia defectum principii formalis, non potest DEUS supplere, & ita non potest facere, ut si aliquid lucidum sine luce, album sine albedine; cum ergò quantitas exhibeat extensionem localem in genere causæ formalis, illâ sublatâ, non poterit extensio localis haberi. Tum quia. Quamvis sine ulla quantitate possit divisibilem locum habere Angelus, coextendens se suæ sphaeræ localitatis, id tamen habet titulo cujusdam virtualis extensivitatis, quæ in rebus materialibus nò habetur; fundatur enim supra ipsum spirituale esse, tribuereq; rei materiali id, quod spiritibus convenit, est merum fingere: & sicut si Angelus nò haberet extensivitatem localem, dicere, quòd possit etiam divinitus occupare divisibile spatium, esset fingere: ita & in præsentia. Tum quia, si materia spoliata quantitate eundem divisibilem locum occuparet, & vellet illam DEUS spoliare quantitate, ut supponitur, & non vellet spoliare: quia nollet illâ spoliare extensione saltem locali, quæ in materialibus, supponit quantitatem, nec habet supra quod aliud fundetur. Effectum quidem secundarium ut alibi dicitur potest DEUS supplere, sed si cetera sint paria, & in particulari, si secundarius effectus, nò præsupponat conjunctionem cum primario, ut extensio localis, necessario supponit extremitatem partium; extremitas autem partium tunc non habetur, quia nec habetur quantitas.

ASSERO IV. *Si Deus spoliaret materiam quantitate, replicetq; eandem, tamen non poterit occupare spatium tantum, quantum occupabat ante.*

RATIO. Quia vel occuparet illa materia tantum spatium, quamvis inter replicata nihil intercedat, vel si aliquid intercedat: ita ut v. g. primo ponatur materia replicata, postea v. g. digitus quantus, succedat digito materia replicata, & materiæ replicatæ digitus, & sic consequenter. Non potest dici primū, quia illa materia replicata, esset in punctum collecta, punctum autē additum puncto & indivisibili, non facit divisibile, nec occupat extensum locum, secundum principia Aristotelis. Non potest etiam dici secundū, quia tunc non illa materia replicata occuparet idem spatium, sed quantum interjectum, cui additum punctum replicatæ materiæ, non faceret majus, sed deberet se penetrare cum partibus quanti, de quo etiā inferius redibit sermo.

ASSERO V. *Si possibilis esset modus extensivitatis materialis, consimilis ei extensivitati, quæ anima & Angelus sine ulla quantitate, occupant spatium indivisibile, tunc materia spoliata omni quantitate, adeoq; tota in toto & tota in qualibet parte existens, posset etiam, occupare spatium divisibile.*

RATIO. Quia ad talem occupationē supponeretur nò requiri quantitas, cum sine quantitate formalis, talis localitas cōpetere supponatur, si quis diceret eā de facto dari, fingeret. An autē sit possibilis de hoc non discuro, unde ex supposita non nisi localitate tali, procedit assertum.

COLLIGES autem ex dictis, *Definitivè quantitatem esse, Accidens exercitativum partium in ordine ad se.*

QUÆSTIO II.

De Distinctione partium quantarum continuæ?

Quantitate consideratâ quoad esse, est necesse eam considerare quoad distinguî; & quia posuimus essentiam quantitatis stare in extremitate partium, ad complementum sciendi, sequitur interrogatio, quomodo illæ distinguantur inter se & quidem in continuo? quia nemo dubitat distinguî realiter partes in quanto discreto. In hac materia Hispani ordinariè docent esse distinctas actû, quod etiam docet ex recentioribus Hurtad. Arriag. Oviéd. & Hybernus Pontius. Itali dicunt esse distinctas non nisi potentiâ. ita Alber. in prædic. quantitatis D. 3. Q. 6. n. 19. Pallavic. lib. 2. C. 7. Amic. Tom. 2. de Angelis Dp. 9. n. 180. Cabæus, quibus accessit Lusitanus recentior Suar. *Vrrag. sententiâ citat Aristotelem.*

NEGATIVA SENTENTIA citat locum imprimis ex 3. de anima, ubi asserit in linea non dari dimidia, hoc est, non dari actû sed potentiâ. Idem repetit 8. Physic. Tex. 68. *In continuo, inquit, non sunt dimidia actû, sed potentiâ, quod si actû fuerint, continuum non facient.* Ex 7. Metaph. Tex. 44. ait. *Ea quæ duo sunt actû, non esse unum actû, posse autem esse unum, si sunt duo potentiâ tantum, ut unum duplum ex duobus dimidiis potentiâ.* Et 9. Metaph. Tex. 10. Eo modo vult esse in cubo dimidia, quo est in ligno Mercurius, quod exemplum adhibet etiam 3. Metaph. Cap. 5. Idem Aristoteles neganti Zenoni posse fieri motum localem, eo quod in illo mobile, deberet pertransire partes spatii infinitas, respondens citato loco 8. Phys. ait: *Quare ad interrogationem si infinita aut in tempore, aut in longitudine possint pertransiri, dicendum est partim posse, partim non posse, quæ enim actû sunt, non posse, quæ autem potestate, posse.* Idem sentit 1. Metaphysicor. tex. 56. Lib. item de sensu & sensibili C. 6. 5. Metaph. tex. 31. Videtur etiam congruere locus ex primi Physicor. tex. 41. Ubi homogenea asserit illa esse, quæ essentialiter non repugnat fieri idem, heterogenea autem, quæ essentialiter repugnat fieri idem. Quod si partes in continuo essent distinctæ quæ fierent idem? per Ly enim idem, non intelligit Aristoteles merè unionem: nam tam homogeneis quàm heterogeneis non repugnat unio. Ergo per Ly idem non intelligit quod homogenea possint fieri non distincta.

RESPONDET Gregor: Arimi: Aristotelem solum voluisse, quod partes in continuo non

sint actû, quoad divisionem, sed non sentit quod non sint actû quoad distinctionem. *Sed replicant negantes:* nemo enim dubitat Mercurium in signo non esse quoad divisionem, & separationem, & tamen ex Aristot. partes sunt in ligno, eo modo quò & Mercurius. Rursus cum Zeno non curavit divisionem partium, sed tantum attendebat ad rationem spatii infiniti, non solvisset ejus argumentum: nam urfisset Zeno, quamvis spatium non sit divisum realiter, haber tamen suam infinitatem, quomodo ergo pertransiri potest. Videturque Aristoteli consentire S. Thom. ad 8. Physic. textum. 37. Pars in toto non est in actû, sed in potentia, maximè in Continuis.

AFFIRMATIVA etiam sententia citat pro se Aristotelem 5. Metaphys. Cap. 13. ubi quantum definit, esse illud, quod est divisibile in ea, quæ insunt. Primi item Physicor. Tex. 17. differens contra Melissum, qui censebat omnia esse unum, probat illud unum non posse esse Continuum, quia aliàs esset multa, si autem distinctionem partium non admittit Aristoteles, quomodo essent multa in Continuo 6. Physicor. Tex. 2. *Continuum, inquit, habet hoc quidem aliam, illam verò aliam partem.* 7. Physic. loco tertio ubi asserit, ea quæ habent diversam generationem & corruptionem, esse distincta, in nutritione autem animalis partes, quantumvis homogeneæ, habent diversam generationem & corruptionem. Cap. item de quantitate. Continuum, censet idem esse, cujus partes copulantur termino communi, si autem partes non sunt actû, quomodo copulantur? nam copulatio duorum est.

RESPONDERI potest ad illum locum ex 5. Metaph. cum recentiori Suar. Continuum divisibile esse in partes non actû realiter distinctas, sed distinctas realiter potentiâ. Aliâ viâ iisdem auctoritatibus satisfieri potest. Aliâ est hæc propositio, actû sunt in continuo partes. Et alia hæc est: In continuo sunt partes actû, nam prima solum importat esse in continuo actû entitatem, cui comperat denominabilitas & determinabilitas ad esse partis, quod concedi potest. Secunda autem propositio, esse actuale partium importat, in ratione & denominatione partium, quod non asserit Aristoteles. Per illos itaque continuum esse divisibile in ea quæ insunt quoad entitatem, licet non quoad esse actuale, determinationem denominationemque partium. Melissoque sentienti omnia esse unum & indivisibile bene opponere poterat, Continuum, quod est divisibile actû in partes, licet non in partes actû, ante divisionem distinctas. Præmissis, auctoritatibus fit insuper

DIF.

DIFFICULTAS I.

Proponitur & probatur defendenda sententia.

DICENDUM est I. *Partes in continuo esse distinctas actu quoad entitatem.* Hæc Conclusio debet esse utriq; parti communis.

PROBARI primò solet. Tum quia competunt diversa prædicata dividi non dividi, esse in hoc loco, non esse in hoc loco, existere non existere, potest enim annihilata una parte guttæ, non annihilari altera, debent ergò realiter esse quoad entitatem distinctæ. Tum quia producents primò & productum primò, debent esse distincta realiter quoad entitatem, sæpè autè in continuo igne, ignis una pars, est producents, & altera producta. Tum quia, si non essent quoad entitatem distinctæ ille partes, & quidem quoad habitationem actualem entitatis distinctæ, ne divinitus quidem separari possent, quia quorum eadem entitas, illa inseparabilia sunt. Tum quia si partes non habent distinctam entitatem, sed eandem cum toto, & quales erunt toti. Tum quia dicunt ad se relationem realem distantia, ut locus cæli versus polum arcticum, cum loco cæli versus polum antarcticum. Relatio autem realis debet esse inter terminos realiter distinctos. Tum quia, si partes continui idem essent quoad entitatem, etiam partes materiæ quæ continua est, essent idem quoad entitatem: & si cut per divisionem fit & esse & distinctio partium, ita fieret per divisionem esse, & distinctio partium materiæ: consequenter materia per divisionem acciperet esse, sicut per divisionem esse accipiunt partes continui, cum tamen materia sit ingenerabilis & incorruptibilis, à nulloq; agente naturali poni potest à parte rei: nam quæcunque pars illius, est subiectum primum, subiectum autem primum, non nisi actione creativâ producitur.

PROBATUR II. Quando duæ guttæ secum conjunguntur vel retinent suas entitates vel non? Si non retinent? Ergò sunt annihilatæ. Ergò neque sunt conjunctæ, conjunctio enim illarum, non est conjunctio in nihilo. Ergò ulterius ex illis duabus non est totum homogeneum majus, majus enim homogenei, est à majori entitate, major autem entitas non est, quia neque est accessus plurium entitatum: Si autem illæ guttæ retinent suas entitates, Ergò est illic entitas: nam sicut duo non aliud est, nisi unum & unum, ita & entitates non aliud sunt nisi entitas & entitas. Ergò est illic ratio aliûs & aliûs. Ergò & distinctio: nam hæc est aliteras unius ab alio.

PROBATUR III. Quando separatur gutta à gutta, separatur entitas guttæ & guttæ, tunc quæro vel separatur entitas guttæ, quæ præexistit, vel quæ non præexistit? Si separatur entitas guttæ quæ non præexistit. Ergò illic non est separatio, cum nihil sit quod separetur, essetque illic potius productio quàm separatio: Si separatur entitas guttæ quæ præexistit. Ergò illic est entitas & entitas guttæ, ergò & distinctio entitatis guttarum; nam per hanc non aliud intelligimus, quàm negationem identitatis.

DICENDUM est II. *In Continuo quæ tali, non esse distinctionem actualem partium in ratione partium.*

PROBATUR I. Si partes essent distinctæ actu in ratione partium, in continuo vel essent omnes distinctæ, vel non omnes? Si non omnes. Ergò nullæ ob paritatem rationis: Si omnes. Ergò ventum est ad indistinguibilia, si ventum est ad indistinguibilia, Ergò ad indivisibilia, quæ ultima consequentia quia negari potest, sic alterius urgetur. Accipiamus partem indistingubilem, quæro potestne dividi vel non potest? si non potest? Ergò ventum est ad indivisibilia; si autem potest dividi? membra divisa vel distinguuntur, vel non distinguuntur? si distinguuntur? Ergò in indistinguibili adhuc erunt distinguibilia, nec accepisti partem non ulterius distinguibilem, ut supponebamus. Si autem membra illa divisa non distinguuntur, Ergò nec sunt divisa, quia si non distinguuntur, nec dicunt alietatem, si non dicunt alietatem, dicunt identitatem, si dicunt identitatem, Ergò neque divisa sunt, idem enim à seipso non dividitur.

RESPONDET ALIQUIS: Partes non communicantes distingui realiter adæquatè inter se, partes tamen communicantes distinguuntur non nisi realiter inadæquatè.

CONTRA. Tum quia in partibus non communicantibus ventum jam esset ad indistinguibilia, adeoque ad indivisibilia ut probatum. Tum quia partes non communicantes distinguuntur realiter adæquatè. Ergò & partes communicantes distinguuntur realiter adæquatè, quia nulla est assignabilis pars, quæ sit necessariò cum aliqua certa communicans, ab omni enim parte, habet destruibilem continuationem. Tum quia, partes non communicantes, quamvis sub aliqua formalitate sint communicantes, hoc non obstante distinctæ sunt tamen realiter, quamvis non sub formalitate communicantium, certè enim quamvis una ulna, cum altera ulna non sint communicantes, tamen in ordine ad constituendum sesquialnam sunt communicantes. Ergò etiam partes communicantes, quia sub aliqua formalitate possunt fieri ad invicem non communicantes, distinguuntur realiter, quamvis non sub for-

formalitate communicantium. Sic v. g. Petrus & Paulus, quamvis in ratione constituentium unum par, non sunt distincti realiter adæquate, tamen in ratione individui, & quia non necessario constituunt istud par, sunt distincti realiter, ita & partes communicantes non erunt distinctæ realiter adæquate, in ratione communicantium, tamen quia non necessario constituunt rationem communicantium cum aliqua certa parte, verè erunt distinctæ inter se.

RESPONDET secundò Maurus Qu. 40. dando regulam, cur aliquæ partes distinguantur actu, aliquæ potentiâ. Et regula quidem intrinseca, pendet ex ipsa natura intrinseca rerum continuarum, statque in hoc; quia res perfectiores æquivalent pluribus, imperfectiores paucioribus, & hoc ostendit inductio, hinc DEus perfectissimus, quia æquivalens omnibus, Angeli perfectiores homine, quia pluribus illo æquivalent. Ita etiam continuum homogeneum potest æquivalere pluribus homogeneis, ex quibus constat potentiâ non actu. Quædam ergo partes quæ ita sunt magnæ, ut repugnet limitationi continui, quod detur aliquid ipsis æquivalens, ideoque distinguuntur actu, quædam distinguuntur solum potentiâ, quia propter suam parvitatem non repugnat limitationi continui, quod detur aliquid ipsis æquivalens. Regula autem extrinseca est, quæ pendet ab aliquibus extrinsecis, nempe illæ partes quæ habent aliquam homogeneitatem vel coexistentiam ad contradictoria, consistentem in indivisibili, distinguuntur actu; quæ autem hoc non dicunt, quantum ex hoc capite distingui possunt solum potentiâ.

CONTRA est, quia in communiore sententia, quæ assignat distinctionem partium formaliter post assignationem, nihil erit difficultatis; sed redibit difficultas, an independenter ab assignatione sint partes distinctæ actu, & an omnes, an aliquæ? Quod autem attinet ad regulam illam intrinsecam, positis duobus continuis hac gutta B. & hac gutta A. sequitur quidem illas duas guttas distingui ob æquivalentiam ad invicem, & continentiam minorum partium, sed redit interrogatio, an partes etiam guttæ inter se actu distinguantur, an omnes, an aliquæ? Rursus ex dictis jam, non tantum sit æquivalentia in gutta B. partium ad 10, sed ad 99, sed & ad 98, vel omnes illæ sunt actu distinctæ, vel non omnes? Si non omnes? Contra erit, quia non est major ratio unius quàm alterius; si omnes? ergò ventum erit ad indivisibilia, quia indistinguibilia.

Hoc tamen argumento isti qui tenent partes proportionales in infinitum divisibiles ægrè uti possunt, si censeant partes esse quoad entitatem distinctas, ut censent omnes, & recentior Suar. hinc num. 39. Nam quæri ex illis potest, an

omnes sunt distinctæ actu quoad entitatem, an non omnes? Si non omnes, non est major ratio de una quàm de altera; Si omnes, ventum erit ad indivisibilia, quoad entitatem, quia ad indistinguibilia.

PROBATUR II. Fundamento accepto ex S. Thom. si partes in ratione partium distinguuntur realiter actu. Ergò partes in ratione partium, sunt alia & alia pars: nam omnis distinctio alicuius importat; Si autem partes continui, in ratione partium, sunt alia, & alia pars, Ergò sunt partes illæ individua, quia scilicet in illis est principium essendi, hoc, & non aliud; sed partes continui in ratione partium, non sunt individua, nam individuum est, quod est indivisum in se & divisum à quovis alio, quod certè partibus continui, utpotè continuatis cum aliis, non convenit.

PROBATUR III. Quia quæcunque definitio tradatur partis formaliter, quæ pars est, condistinguendo partem materialiter sumptam, seu partem quoad entitatem, nisi instituat quæstio de voce, advertetur, quoad esse formale partium, non inveniri illibi distinctionem, qui ipse medius terminus sic aliter proponitur. Pars in ratione partis formaliter, constituitur terminis, quod enim aliud est illius constitutum? finge enim rem non habere terminos, nisi illos quos totum, non erit pars, sed totum, utpotè commensurabilis toti; apparet ergò illam in continuo constitui terminis inæqualibus toti; consequenter, sicut quando non ponitur terminus substantiæ, illa substantia non constituitur in ratione suppositi; ita nec pars in ratione partis, constitui poterit nisi terminis. Sed partes in continuo non sunt formaliter terminatæ. Tum quia si partes continui sunt formaliter terminatæ, vel essent terminatæ omnes, vel non omnes? Si non omnes, cur hæc potius quàm illæ? Si omnes, ergò non sunt ulterius terminabiles; tunc pone illas dividi, si illæ partes non sunt indivisibilia, divisa terminabuntur vel non? si terminabuntur, ergò non accipisti partem ulterius non terminabilem; si non terminabuntur, ergò potest aliquid esse divisum, & non habere terminos. Tum quia, si omnes partes in continuo essent formaliter terminatæ, hoc ipso illud continuum, non esset continuum formaliter, nam continuatio dicit exclusionem terminorum. Tum quia, si partes continui sunt formaliter terminatæ, debebunt habere omnem possibilem sibi rationem termini, non est enim ratio major de quibusdam, quàm de aliis terminis; sed non possunt habere omnem rationem termini, quia alias haberent omnem possibilem figuram, quia figura non sit aliud, nisi aliter & aliter terminata quantitas: non habent autem omnem possibilem figuram, quia alias in ligno rudi, jam esset formaliter actu Mercurius.

CON-

CONFIRMATUR. Si partes in continuo essent omnes actu distinctae, vel essent finitae vel infinitae syncategorematicae, vel infinitae categorématicae, vel neque finitae neque infinitae; Nihil horum dici potest, Ergo neque dici potest distinctas esse. *Non primum.* Quia si essent finitae, ergo non essent partes in continuo in infinitum divisibiles, siquidem continuum in tot partes est divisibile, in quot distinguibile, & tamen oppositi supponunt quantitatem esse in infinitum divisibilem. *Non secundum.* Quia illud ex cuius Actu, accipere semper est & nunquam idem, est infinitum actu. Sed partes continui actu distinctae, semper sunt, ex quarum Actu, accipere est semper est, & nunquam idem. Ergo sunt infinitae actu. Major habet terminos definitionis. Minor probatur. Quia si ex illarum esse Actu accipere non esset & quidem nunquam idem, acceptio illarum exauriretur, adeoque veniretur ad non acceptibilia; ac quod ulterius sequitur, ad non divisibilia. Et certe si partes per possibile vel impossibile essent actu divisae, quot sunt divisibiles, essent divisum, infinitum actu. Ergo etiam, cum sint tot actu distinctae, quot sunt divisibiles, erunt infinitae actu distinctae. *Non tertium.* Quia nullum actu infinitum datur. *Non quartum.* Quia quod aliquid neque sit finitum, neque infinitum, id quidem beneficio intellectus haberi potest, sed non habetur nemine cogitante; hic autem quaeritur de distinctione, quae sit nemine cogitante.

RESPONDEBIS. Partes communicantes non esse infinitas, nisi secundum quid, quia sunt identificate partibus determinatis aequalibus unicerte, quae sunt actu finitae.

CONTRA. Quia aequae partibus proportionalibus identificate sunt partes determinatae, ac partibus determinatis identificantur proportionales, cur ergo potius determinatae, trahent, proportionales ad rationem finitarum, & non proportionales trahent determinatas, ad rationem infinitarum? Tum quia ex vi huius responsionis, sequitur illas partes, & non fore infinitas, quia identificantur finitis, & non fore finitas, quia ex illarum distinctione, semper est actu accipere aliam distinctionem. Tum quia unitati columnae, sunt identificate 6. ulnae, tamen hoc non obstante, illae 6. ulnae, sunt 6. Ergo etiam quamvis finitis partibus determinatis, sint identificate partes infinitae proportionales, adhuc erunt infinitae, & in ratione distinctionis, infinite actu distinctae.

DIFFICULTAS II.

Argumenta in Oppositum.

OBJICITUR I. Partes distinguuntur actu quoad entitatem, Ergo distinguuntur etiam actu quoad esse formale partium. Consequenter

tia probatur. Quia quod constituit partes actu, hoc & distinguit illas actu; per hoc enim distinguuntur res, per quod & constituuntur; constituuntur autem per entitatem.

RESPONDETUR. Per idem res distinguuntur in recto, per quod & constituuntur, quid enim est distingui, nisi esse ens aliter se habens; completius tamen distinguuntur res, non per solam entitatem, sed per varia connotata, ad eum modum, quo etiam unum constituitur per rationem entis, completur autem per negationem divisionis; ita & pars constituitur per entitatem, completivè tamen in ratione partium formaliter, formantur per rationem individui & terminati.

INSTABIS primo, ex Pontio. Aqua addita alteri aquae, non est tota aqua. Ergo pars illius.

RESPONDETUR. Non esse illam aquam, nisi partem vulgariter; de quo infra: cum non habeat terminos, adeoque haecceitatem, quae supponitur ad distinctionem.

INSTABIS secundo ex eodem. Partes sunt actu in continuo quoad entitatem. Ergo & quoad multitudinem, pluralitas enim entitativa, multitudinem arguit.

RESPONDETUR. Esse plures illic partes quoad multitudinem entitativam, quia multitudo entitativa est ipsamet divisibilitas, sed non sunt plures quoad multitudinem partium formaliter.

INSTAT tertio Maurus Qu: 40. Videtur absurdum, quod in homine non distinguantur actu, caput & pedes, & ne recurras ad heterogeneitatem partium, saltem id sequetur in capite & pede statuæ marmoreae; absurdum idem videtur quod aqua Tyberis non sit distincta actu ab aqua Danubii.

RESPONDETUR, ipsi termini capitis, & pedis, littorumque, adterunt distinctionem, non tantum in ratione entis, sed etiam in ratione alius & alius totius.

OBJICITUR II. Signum distinctionis realis est separabilitas entitativa: haec habetur in Continui partibus.

RESPONDETUR I. Quod separabilitas, convenientia item diversorum praedicatorum, eorumque realium ac Physicorum, arguat distinctionem realem, non actualem sed potentialem. *Hec Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia admittit indistincta actu, dicentia actualem capacitatem praedicatorum Physicorum, qualia sunt dividi non dividi. In creatis autem si admittatur talis capacitas, admitti etiam poterit mysterium Trinitatis. Tum quia, si separabilitas non esset in quocunque casu signum distinctionis realis actualis, sicut ratione terminorum quibus carent partes, importat non nisi distinctionem potentialem, ita dicat inter materiam & formam unitas, non esse distinctam.

distinctionem realem actualem, sed non nisi potentialem, quia scilicet illis deest ratio disjuncti. Tum quia signum distinctionis realis actualis non est separatio sed separabilitas, quæ quia conceditur inter illas partes, hoc ipso concedi debet distinctio actualis.

RESPONDETUR Secundò. Hoc argumentum esse falsificantium propositionem: nam cum nullæ sint partes in continuo ante assignationem, quomodo dici potest, ante assignationem illas esse separabiles? *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT, redit enim argumentum. Illud quod est separabile ante assignationem, est ante assignationem distinctum; sed partes sunt separabiles ante assignationem, habent enim entitatem, cui divisibilem esse, convenit ante assignationem. Ergò.

RESPONDETUR Tertiò. Quòd scilicet inter partes entitative acceptas sit ista separabilitas, consequenter & distinctio, non inter partes formaliter acceptas. In idem recidit, si dixeris, separabilitatem eorum quæ sunt à parte rei, esse signum distinctionis realis actualis, cum ergò partes formaliter sumptæ non existant, nec distinguuntur.

INSTABIS. Quamvis continuum non sit separabile in partes formaliter, est tamen separabile in tota formaliter. Ergò cum separabilitas sit signum distinctionis realis, inter illa tota formaliter, erit distinctio realis actualis.

RESPONDETUR. Non esse illic separabilitatem in tota formaliter actu existentia, sed in tota potentia, extitura, facta scilicet divisione: Separabilitas autem est signum distinctionis realis, inter ea, quæ sunt actu formaliter existentia, posset tamen hic poni distinctio realis actualis negativa.

OBJICITUR III. Non esse ullam rationem, cur partes in ratione partium formaliter, non sint distinctæ realiter actu.

RESPONDETUR. Qui tenent quòd partes constituentur in ratione partium formaliter, per hoc, quia sunt hæceisatæ & terminatæ, hoc ipso quia in continuo non habent terminos, non poterunt etiam nemine cogitante distinguui in ratione partium formaliter. Conformiter autem ad inferiùs dicenda, ideò in ratione partium formaliter non sunt distinctæ, quia nec existunt, nec existere possunt in ratione partium formaliter.

OBJICITUR IV. Si ideò partes non distinguuntur realiter actu in ratione partium formaliter, quia non habent hæceitatem & terminos proprios, sequitur, quòd acquisitis terminis, acquirant hæceitatem adeoque distinctionem. Hoc non potest asseri, quia si acquisitis terminis acquirerent partes hæceitatem, etiam mutatis terminis mutarent hæceitatem, adeoque si unam guttam addas mari, cum mutantur termini illius, mutabitur hæceitas illius, & cum mari

semper & semper novi fluvii & aquæ infundantur, semper & semper mutabit hæceitatem.

RESPONDETUR communiter, moraliter eandem semper hæceitatem retinere mare, quia accessus ille, non est talis mutatio, quæ fundare possit diversum iudicium prudentum de mari. Physicè tamen est aliud inadæquate, illud totum. Deinde dici potest cum affusione unius guttæ, non omnes termini continuationis mutantur, sed tantum istarum entitatum continui, cum quibus illa gutta unitur. Hinc non totum mare, sed illæ tantum entitates aliam rationem hæceitatis, seu terminationis habebunt. Rursus, per hæceitatem maris intelligi potest, id quòd dicit hæceitas in recto, & hæc est entitas maris, quæ præhabita, non mutatur; Deinde intelligi potest id quòd dicit hæceitas in obliquo & pro connotato, ratione scilicet terminorum, & in hac secunda acceptione aliquarum, ut dixi partium, mutatur hæceitas.

OBJICITUR V. Partes temporis sunt distinctæ realiter actu. Ergò & partes Continui. Antecedens probatur. Quia existente una parte, non existit, nec possibile est ut existat alia.

RESPONDET recentior Suar. Sicut quamvis una pars temporis non existat, & alia existat, tamen hoc non impedit quominus continuentur inter se, ita nec impedit, quominus sint idem ab extrinseco, hoc est ratione negationis partium.

Hæc Responsio

NON SATISFACIT. Quia difficile est, quomodo ens & non ens identitatem habeant. Quòd adfertur de continuatione, non convinquit, nam ad hoc ut aliqua in successivis continuetur, sufficit quòd nihil inter ea intercedat, & sint ejusdem rationis, ad identitatem autem requiritur idem esse, quomodo ergò inter ens & non ens identitas erit?

RESPONDETUR II. Quòd partes temporis sint distinctæ, quoad entitatem, & non sub ratione partium formaliter.

INSTABIS. Si partes temporis non distinguuntur realiter, sequitur diem crastinum & hesternum esse eundem diem.

RESPONDETUR. Hesternam & crastinam diem, non esse eandem, quia diversa est entitas hujus, & diversa entitas illius, partes autem formaliter acceptæ, tam hujus, quam illius diei, nullæ sunt. Quòd etiam in simili de gutta comparatè ad mare v.g. dici debet, quòd scilicet quoad entitatem minor sit gutta mari; quoad autem esse formale partium, nec gutta est minor, nec mare est majus, quia neutri illorum competit habere partes formaliter.

OBJICITUR VI. Autoritas Trident. quod Sess. 13. definit: Christum esse in hostia & in singulis ejus partibus. Ergò supponit dari partes.

Re-

RESPONDETUR. Intelligendum Concil. de partibus quoad entitatem, non quoad esse formale partium. Deinde intentio Concil. fuit definire, quod etiam post divisionem maneat Christus in Eucharistia, nec adstringatur totalitati consecratae hostiae, ad quod propositum nihil refert, an sint illae partes distinctae in ratione partium formaliter, vel non distinctae.

Nec inde sequitur: Si partes hostiae non distinguuntur actu, Sacerdote dividente hostiam, poni Christum illis solâ divisione, cum tamen non nisi solâ consecratione ponatur.

Ex hoc enim ipso, quia non est uniter Christus in Eucharistia, sed totus in toto, & totus in qualibet parte; fit ut divisione non ponatur, sed consecratione. Et sicut pars ante divisionem, fuit quoad entitatem, ita & Christus fuit in illa, quoad entitatem spectata, adeoque non ponitur Christus de novo per divisionem.

INSTABIS. Quando per divisionem id, quod non erat pars formaliter, vel quod non erat totum formaliter, fit pars formaliter, vel totum formaliter, sub illo quâ est totum formaliter, vel quâ est pars formaliter, estne Christus vel non? si non est Christus? Ergo aliquid est in hostia, sub quo non est Christus? Si autem est Christus, quæro, vel ante divisionem erat sub parte formaliter, vel non erat? Si erat? ergo dabatur pars formaliter, si non erat, & modò est, divisione ponetur Christus & non consecratione.

RESPONDETUR. Totum formaliter, vel pars formaliter, dicit unum in recto, hoc est ipsam entitatem; sub qua entitate, ante divisionem, jam erat Christus, utpotè totus in tota hostia, & totus in qualibet parte sensibili, quoad entitatem sumpta. Deinde totum formaliter, vel pars, dicit habitationem terminorum, qui termini, sunt negatio ulterioris extensionis; sub negatione autem ulterioris extensionis, non est Christus.

OBJICITUR VII. Vel continuum, divisibile est in partes quas habet, vel in partes quas non habet? non in partes, quas non habet: nam quod dividitur, dividitur in hoc, quod est ejus: Non in partes quas habet, quia convinceretur intentum.

RESPONDETUR. Esse continuum divisibile in partes, quæ habentur quoad entitatem, & sunt potentiâ formaliter partes, aut potentiâ formaliter totum.

CONTINUATUR SOLUTIO.

Mastrius Disp. 9. n. 52. tenet partes quantitatis esse distinctas realiter actu, &

OBJICIT I. Præter adlatam Auctoritatem Arist. qui in prædicamento Quanti ponit de ratione quantitatis in communi, esse, quod habeat plures partes, & continuam à discreta distinguit, non quia hæc habeat partes actu di-

stinctas, & illa non, sed quia partes quantitatis continuæ copulantur termino communi. Idem docuit, Phys. t. 17. ubi manifestè supponit, continuum habere multitudinem partium.

RESPONDETUR. Quod Arist. supponat continuum habere multitudinem partium quoad entitatem, non quoad esse formaliter partium, quando autem 4. Phys. t. 23. inter modos essendi numerat modum essendi, quo pars est in toto, id potest de aliis totis salvari, quomodo scilicet anima & corpus sint in composito, non autem de toto continuo; vel certè loquitur de partibus quoad entitatem, in quas & sic sumptas, est divisibile continuum, dum est divisibile in ea quæ insunt. Quo etiâ modo responderi debet ad auctoritatem Augustini 2. de lib. arbit. c. 15.

INSTAT. Quando Arist. dicit, quod Materia, subiectum sit primum, ex quo fit aliquid cum insit, loquitur de subiecto actu, ergo & loquitur de partibus actu, ita enim se habet in ratione componendi actualiter pars integralis, ad totum integrale, sicut se habet essentialis ad essentialia.

RESPONDETUR. Sufficit, ut sint partes actu quoad entitatem, licet non sint quoad esse formale partium, compositionemque illam faciunt continui suâ entitate, non ratione formali partium, ut etiam dictum supra, dividiturque in partes, quas actu habet quoad entitatem, licet non quoad esse formale partium, distinguunturque ita inexistentes entitates partium, ab inexistencia elementorum in Misto, quia entitas ignis non est in Misto.

OBJICIT II. De ratione quantitatis est, ut faciat, partem extra partem, & de ratione continui, ut partes ejus copulentur termino communi.

RESPONDETUR, de ratione quantitatis est, ut faciat partem quoad entitatem, esse extra partem quoad entitatem, sed non est de ratione quantitatis, ut faciat partem extra partem, quoad esse formale partis, quod esse partium quoad entitatem, quia præsupponitur, fit ut agens naturale dividendo materiam, non creet ejus partes, poteritque quoad aliquid quantitas palmaris esse nigra, quoad aliquid rubra.

INSTAT I. Si sunt plures entitates in continuo in actu, ergo sunt actu distinctæ, quia distinctio fundatur super multitudinem entitatum.

RESPONDETUR esse actu distinctas quoad entitatem, non quoad esse formale partium.

ADDO, admittere nos partes quoad entitatem, non quoad esse formale partium, oûm tamen negemus ablato termino, manere entitativè relationem, quia priori phrasi significamus

camus, quod omni divisioni, assignationi &c. præsupponatur dividendum assignandum &c. hocq; intelligimus nomine partium quoad entitatem. quando autem negamus ablato termino manere entitativè relationem, negamus quod maneat tota relatio solo nomine ablato: alio ergo sensu negamus manere entitatem relationis, alio sensu ponimus manere entitatem partium, concedimusq; non solum esse pluralitatem actualem entitatum, sed etiam distinctionem quoad entitatem partium, sed negamus esse distinctionem quoad esse formale partium, consequenter etiam poterit in vino consecrato esse sanguis Christi, in vino autem non consecrato affuso ad consecratum non erit Christus, ob eandem distinctionem, quoad entitatem.

INSTAT II. Ex unione partium in toto, non benè colligitur identitas illarum, ut patet de partibus physicis, unio namq; sicut non destruit rationes formales extremorum, ita non destruit eorum distinctionem.

RESPONDETUR, quod ex unione partium in toto, non rectè colligatur identitas illarum quoad entitatem, colligitur tamen identitas, hoc est exclusio pluralitatis partium, quoad esse formale partium, & quoad habere terminos.

INSTAT III. Pars ut pars debet componere totum, ergò tunc est pars, quando actu componit.

RESPONDETUR; rigorosè loquendo, continuum non componitur ex partibus, de quo infra.

OBJICIT tertio quidā. In hora est aliquid, quod non est, sed fuit, est aliquid quod erit, est aliquid quod est de præsentī, est enim hoc illi essentialē, ex natura temporis, ergò in hora, nemine cogitante, & ante omnem designationem, est aliquid realiter & actu distinctum.

RESPONDETUR esse illic aliquid realiter & actu distinctum, quoad entitatem, non quoad esse actuale partium; consequenter strictum, & non strictum, quæ prædicata conveniunt pyramidi, arguunt, distinctionem realem partium quoad entitatem, non autem in ratione partium formaliter, idemq; arguit separabilitas.

INSTAT idem. Si in aqua ante assignationem, & divisionem, non sunt duæ guttæ actu distinctæ realiter, sed sunt actu realiter identificatæ, ergò postea accedente divisione vel assignatione, sunt duæ guttæ actu realiter distinctæ, retinendo eandem suam entitatem, quàm prius habebant, ergò quod erat actu idem, retinendo suam entitatem, non erit actu idem, sed fiet actu duo, quod est impossibile, non potest enim aliquid esse indifferens ad hoc, ut identificetur actu realiter cum aliquo, vel ut distinguatur actu realiter ab ipso.

RESPONDETUR. Si in aqua non essent actu distinctæ guttæ quoad entitatem, tunc rentâ suâ entitate, dicerent realem distinctionem, quam antea non dicebant, sed id absurdum non sequitur, si ponatur distinctio realis quoad entitatem, non quoad esse formale partium.

OBJICIT quarto idem. Seclusâ omni divisione (adde habentia propriorum terminorum) datur in quantitate ulnari homogenea, entitas palmi, ergò datur unitas seu identitas realis secum, quæ inseparabiliter transcendit omne Ens, non secus ac unitas & bonitas, ergò datur & distinctio ab alio palmo, quia unum est indivisum à se, & divisum à quovis alio.

RESPONDETUR. Dari distinctionem ab alio palmo in ratione Entis, non in ratione formali partis, & licet entitatem sequatur unitas, adeoq; divisio ab alio, in ratione entis, potest tamen non esse divisio ab alio, in ratione formali partis, seu potest adhuc esse carentia habentia propriorum terminorum, consequenter & habitio propriorum terminorum, præsupponit unionem, quæ tunc destruitur, adeoq; præsupponit distinctionem realem actualem, quoad entitatem esse partium, non autem quoad esse formaliter partium.

OBJICIT quinto idem. Designatio mentalis partium vel est conformis objecto, vel difformis: si difformis, non facit veram distinctionem realem partium, si conformis? ergò præsupponit partes.

RESPONDETUR in nostris quidem principiis, non recurritur ad istas designationes mentales, sed nec argumentum convincit, diceret enim quis, illas designationes esse conformes, quia præsupponunt partes non actu sed potentia, vel quia præsupponunt partes quoad entitatem.

OBJICIT sexto idem. Si designatio mentalis constituit distinctionem actualem in continuo, ergò ista distinctio non est realis sed rationalis.

RESPONDETUR in nostris principiis ad hanc designationem non recurri: diceret tamen aliquis non esse hanc distinctionem rationis, quia supponit partes potentia distinguibiles, vel partium entitatem.

OBJICIT septimo idem. Terminatio palmi v.g. negatio ulterioris extensionis duplex cogitari potest, prima intrinseca, per quam palmus non extenditur extra se ipsum, & hæc terminatio convenit palmo essentialiter, ante omnem assignationem, hocq; sufficit ad distinctionem unius palmi ab alio palmo, sicut sufficit eadem negatio ulterioris extensionis, in duabus animabus sese penetrantibus; altera extrinseca per quam palmus negat uniri sibi extensionem alterius palmi, & hoc fit quidem per divisionem, sed non requiritur ad distinctionem actualem palmi.

RE-

RESPONDETUR. Extrinseca extensio, nego quod non requiratur ad distinctionem actualem palmi, in ratione formali palmi, licet non requiratur ad distinctionem actualem palmi quoad entitatem, ab entitate actuali alterius palmi, in potentia est ergo illic actu entitas, quæ potest esse palmus, si habeat terminos. Terminatio palmi intrinseca convenit palmo, ante omnem assignationem, si detur palmus formaliter, sed nego dari palmium formaliter in illo quo continuo constante entitate plurium palmarum.

DIFFICULTAS III.

Possibile est distinguere partes continui in ratione partium formaliter?

DICENDUM EST. Partes continui, in ratione partium formaliter, impossibile est distinguere: sed quotiescunque distinguuntur, non nisi secundum quid, & vulgariter in ratione partium formaliter, distinguuntur.

PROBATUR CONCLUSIO. Tunc partes continui distinguuntur in ratione partium formaliter, quando constituuntur in ratione partium formaliter, sed constitui non possunt in ratione partium formaliter nisi secundum quid. Minor probatur. Partes continui non constituuntur in ratione partium formaliter per mentis designationem, aut quamcunque extensionem externam, aut contactum, nec per diversam informationem, ut cum aliquid frigescit aut calefit, non etiam per divisionem. Ergo non possunt constitui in ratione partium formaliter nisi secundum quid.

PROBATIO I. Probatur minor. Tum quia id innuit Aristoteles L. de anima text. 32. Tum quia operatio nostri intellectus nihil ponit in nobis, quod sit prædicatum primò intentionale; esse autem partis formaliter, est prædicatum primò intentionale, ad eum modum, quo esse albi, consequenter designatio mentis, facit partem intentionaliter, sed non simpliciter. Tum quia distinguere realiter, est distinguere nemine cogitante, sed distinguere partes in ratione partium formaliter, est distinguere realiter, de tali enim distinctione agitur. Ergo distinguere partes in ratione partium formaliter, est distinguere nemine cogitante, non ergo istud distinguere, erit aliquo cogitante, adeoque nec aliquo designante. Tum quia, si ipsa assignatione habetur ratio formalis partis, nemo tibi in disputatione negare posset, partes esse distinctas realiter in ratione partium. Quod ipsum probatur. Quia hoc ipso negans has partes esse distinctas realiter, designat illas, tu autem concedis partes post assignationem, esse distinctas realiter. Tum quia, si designatio mentalis sufficit, ad constituendas partes in ratione partium for-

maliter, vel sufficit designatio unius præsentis, vel quorumcunque aliorum? si quorumcunque aliorum; Ergo tu temere asseris has partes, non esse distinctas realiter, nescis enim annon illas aliquis designaret. Si autem sufficit designatio unius præsentis; Ergo per assignationem non constituuntur partes in ratione partium formaliter, quod enim est pars formaliter, est respectu omnium pars, ut album respectu omnium est album. Tum quia universaliter ratio tangentis, designantis, ostendit, sunt actiones, quæ non possunt tribuere subiecto, circa quod versantur, nisi formalitates, quas de se important, seu non nisi formales suos effectus, v.g. actio visiva, non potest tribuere nisi denominationem visivæ, actio tactiva denominationem tactivæ. Ergo & ratio assignationis, tribuit rationem assignati, non autem partis formaliter. Et sicut cum aspicio ulnam & semiulnam, possum quidem dicere designando medietatem ulnæ, hoc est æquale alteri, tamen illa designatio non plus importat quam determinationem, de quo scilicet subiecto ego loquor, & importat non nisi adæquationem representatam intentionaliter, quamvis cum fundamento in re, sed non importat adæquationem physicam realem. Ergo nec importabit esse formaliter partis similis designatio, quia etiam esse partis, formaliter importat aliquid physicum.

PROBATIO II. Probatur Minor, quod scilicet partes non constituuntur in ratione partium formaliter per diversam informationem. Tum quia, ut dictum proximè, formæ receptæ in subiecto non tribuunt, nisi effectus suos formales: v.g. frigus esse frigidi, nec frigoris effectus formalis est, facere partem. Tum quia per hoc, apud oppositum sentientes, pars constituitur formaliter in ratione partis, per quod constituitur in ratione terminatæ. Sed per illas formas, non constituitur in ratione terminatæ, quia si illa pars haberet proprios terminos, & non communes cum residuo cum quo continuatur, hoc ipso non esset continuum illud, adeoque non evinceretur, partes continui in ratione partium formaliter esse distinctas, quia ob diversam informationem non essent continuæ; & licet assignabile sit aliquid in illo continuo, quod non est ulterius frigefactum, hæc tamen terminatio, est terminatio frigoris, adeoque secundum quid, sed non est terminatio ipsius continui, adeoque non est constitutio partis in ratione partis formaliter.

PROBATIO III. Probatur eadem minor, nempe quod partes in ratione partium formaliter, non constituuntur divisione. Tum quia id quod est pars formaliter, non potest habere rationem totius formaliter, sunt enim hæc sibi opposita, sed continuum post divisionem, habet rationem totius formaliter, Ergo non

habet rationem partis formaliter, sed non nisi secundum quid & ampliatiuè. Tum quia id quod habet suam integritatem, & habet jus existendi in rerum natura, non per ordinem ad aliud, est totum formaliter, & non potest esse nisi secundum quid, & ampliatiuè pars, & ita digitus v. g. abscissus, non habet suam integritatem propriam, nec jus existendi in rerum natura, nisi ad integrandum corpus organicum; sed gutta aquæ v. g. post separationem, habet suam integritatem; quia hanc guttam, quæ est in individuo, non nisi hæc entitas liquidi constituit, & quidquid illi adjeceris, jam erit aliud integrum. Habet item jus existendi in rerum natura, sine ordine ad aliud: nam homogenea quia in illis conservatur tota ratio formæ, gaudent hoc jure. Tum quia accipio vas aquæ, & unam guttam ejusdem aquæ, & dico hæc gutta per se est pars formaliter, & illa vasis aqua est totum formaliter. Ergo & hæc gutta est totum formaliter. Nam illa aqua vasis, quæ comparatè ad fontem, vel fluvium, vel mare, longè est minor, & indubiè communes terminos habebat in fonte, & nihilominus, est post separationem totum. Ergo & hæc gutta, propter rationis paritatem, erit totum formaliter. Ergo ulterius non nisi secundum quid, comparatiuè, ampliatiuè, erit pars. Unde si quæras, hæc gutta demonstrando eam, estne pars an totum, respondebitur, ante separationem neque est pars formaliter, propter adlatas rationes, neque totum formaliter, quia non habet suam integritatem propriis terminis circumscriptam, sed post separationem erit totum formaliter, & pars non nisi respectiue, quæ uniebatur cum alia aqua, quæ plus entitatis in se habet, adeoque erit pars ampliatiuè & secundum quid, nomine enim partis formaliter, venit pars ex intrinsecis suis principiis habens formalitatem constitutivaque sui in ratione partis, adeoque excludendo rationem quæ non sit pars, consequenter excludendo rationem totius, quam exclusionem totius, non dicit id, quod est per nos ampliatiuè pars. Hinc quamvis aliorum entium dentur partes formaliter, non tamen continui, quia partes aliorum entium sunt tales, ut non habeant jus existendi in rerum natura, nisi per ordinem ad constituendum aliud, unaquæque autem pars continui, habet jus existendi in rerum natura, & non per ordinem, ad constituendum aliud.

COLLIGES hinc. Quod cum partes in ratione partium constitutas, intelligamus partes in ratione individui constitutas, & propriis terminis circumscriptas, certò immerito disputabitur contra nos, fietque quæstio non nisi de voce, cum nec oppositū sentientes, in continuo partibus rationem individui, nec rationem priorum terminorum tribuant.

De distinctione quantitatis à re quantæ.

NEgant aliqui Nominales, quantitatem esse distinctam realiter. Asserit S. Thomas, Scotus, & ex nostris reliqui, excepto Arriagad. 5. Metaph. n. 10. in qua positione diuisi sunt adhuc Nominales: aliqui enim censent quantitatem identificari soli substantiæ, non verò accidentibus, quo etiam principio utitur Arriaga. alii censent accidentibus & substantiæ identificari quantitatem.

DICENDUM est I. *Quantitatem Accidentibus non esse identificatam.*

PROBATUR I. Argumento desumpto ex Aristot. 5. Metaph. C. de Quanto. Si album haberet identificatam sibi quantitatem, esset quantum per se, quia ea quæ sunt rei identificata, conveniunt ei per se; non enim per accidens se habet id, quod est ipsa res, nihil enim ad se, per accidens se habet: sed album non est quantum per se, album enim est quantum, non nisi, ut inquit Aristoteles, quia subjectum cui insunt, est quantum. Ergo non est quantum per se. Porro posui in Conclusionem, quod quantitas accidentibus non sit identificata, & non posui quod sit res, quia volui id probare argumento Aristotelico, qui distinctionem agnovit, sed non separabilitatem quantitatis à suo subjecto, consimiliter ac de modis philosophantur Modalistæ.

PROBATUR II. Communi argumento. Si quantitas esset identificata accidentibus, haberent accidentia se ipsis principium impenetrabilitatis, naturaliterque penetrare se non possent si naturaliter penetrare se non possent, naturaliter in eodem loco esse non possent; sunt autem naturaliter in eodem loco, dulcedo enim & albedo lactis, nec sensu, nec ratione, separata sunt loco.

RESPONDENT I. Quantitatem ejusdem rationis non posse penetrari, quantitates tamen diversæ rationis posse penetrari, atque ita cum quantitas dulcedinis, & quantitas albedinis, sint quantitates diversæ rationis, bene penetrari poterunt.

CONTRA. Tum quia Natura quantitatis ejusdem rationis, exigit impenetrationem. Ergo & quantitas diversæ rationis. Imò potius penetrare se deberent quantitates ejusdem rationis, quia quæ sunt ejusdem rationis, facilius se compatiuntur. Tum quia gradus homogenei qualitatis, sunt gradus ejusdem rationis, & habent quantitates proprias, & nihilominus se penetrant in eodem subjecto. Ergo falsum est principium, quantitates ejusdem rationis non posse se penetrare. Tum quia ut advertit Pontius, sequeretur hostias duas consecratas, posse se penetrare, quia haberent quantitates

res diversæ rationis. Neque valet si dicas, res ejusdem rationis penetrare se posse, casu quo educantur, ex eadem parte subiecti, non inquam valet, quia non est major ratio de uno, quam de altero extremo.

RESPONDENT II. Quanta ad idem subiectum spectantia, posse se penetrare, non tamen quanta, ad diversum subiectum spectantia; atque exinde fieri, ut duo homines penetrare se non possint; Lux item, si corpus esset, penetrare aërem non posset, essent enim quantitates non ad idem subiectum spectantes.

CONTRA. Tum quia adhuc sequitur, quod lux aërem penetrare non posset, quia aliud subiectum est lux, & aliud aër. Si autem dicas esse in eodem subiecto, de hoc ipso quaeritur, quomodo sint in eodem subiecto, & tamen habent diversam quantitatem? Tum quia sine petitione principii, non potest ostendi, cur quanta ad idem subiectum spectantia, possint se penetrare & non alia præcipue cum hoc ipsum, ad idem subiectum spectare, idem importet, ac in eodem subiecto recipi, locari, penetrari. Tum quia non possunt se penetrare quanta ad diversum subiectum spectantia. Ergo nec spectantia ad idem subiectum, nec possunt spectare ad idem subiectum, si unum quodque suam quantitatem, est quantum.

RESPONDETUR III. Quantitates non unitas penetrare se non posse, secus quantitates unitas.

CONTRA. Tum quia de hoc ipso quaeritur, quomodo si retineant proprias quantitates, unum inter se possint, & quidem unione quæ non sit unio aggregationis. Tum quia quantitates non unitas penetrare se non possunt. Ergo nec quantitates unitas, idque attendendo ad naturam quantitatis in utroque. Tum quia species à diversis objectis transmissibiles, non sunt species unitas, & tamen se penetrant. Ergo unio, ad hoc impertinens est.

PROBATUR III. Urgendo itidem argumentum commune. Quia si accidentia haberent propriam quantitatem, non haberent in Eucharistia communem quantitatem, non enim haberent quantitatem substantiæ panis, quia hæc cum substantia panis cui identificatur, desit, non etiam aliam communem, quæ enim illa? Quod si non habent communem quantitatem, non habent subiectum commune, in quo recipiantur omnes alterationes quæ fiunt in hostia, consequenter omnes illæ essent creationes, quia fierent independenter à subiecto communi. Confirmatur: Nullum videtur inconueniens, quod homo sine ullo miraculo, possit de loco in locum transferre hostiam, nec videtur probabile, quod casu quo ventus imprimat impulsus hostiæ, hoc ipso assumatur ventus ad creandum illum impulsus,

hoc est producendum, absque & independenter, à quocunque subiecto.

RESPONDENT aliqui. Quod sicut fit generatio substantialis v. g. ignis sine ullo subiecto, dum hostia comburitur, sic fieri potest v. g. & translatio illius de loco in locum.

CONTRA. Illa generatio perficitur non nisi in subiecto, nam pro illo instanti substituit Deus vel aliam materiam, vel eandem reproducit, in quo autem subiecto, fiunt illæ alterationes? quod si non fiunt dependenter à subiecto creantur. Neque valet si dicas. Ea omnia fieri à Deo ad occultandum mysterium. Quia si fieri possunt hæc sine miraculo, ut quid fingeretur tunc miraculum? si autem ponatur quantitas panis tunc in Eucharistia, tanquam subiectum commune, fiunt illæ alterationes, sine ullo miraculo.

DICENDUM EST II. *Quantitatem non esse identificatam realiter substantiæ.*

PROBATUR primò auctoritate Aristotelis. Si substantiæ esset realiter identificata quantitas, etiam materiæ esset identificata quantitas, sed non est: quia de quo negatur quantum, illi non est identificata quantitas, nullum enim concretum, de se ipso negatur. Sed de materia negatur quantum, dicit enim Aristoteles, illam neque esse quid, neque quantum. Negat item Materiam esse se ipsam sensibilem, se ipsam autem esset sensibilis, si esset se ipsa quanta. Vide 1. Physicor. tex. 13. 15. 14. & 4. Metaphys. Tex. 17. & 7. Metaph. Tex. 8.

PROBATUR secundò. Quodcumque est fundamentum distinguendi qualitatem à substantia v. g. saporem, idem fundamentum habetur distinguendi quantitatem. Et sicut tu dicis in Eucharistia manere non nisi quantitatem accidentium, perire autem quantitatem substantiæ identificatam, ita dicam saporem identificatum substantiæ, aliasque qualitates perire, sed manere saporem accidentium, qualitatesque accidentales.

PROBATUR tertio. Quantitas non est identificata accidentibus, ut supra probatum. Ergo neque substantiæ, quia non est major ratio unius quam alterius.

CONFIRMARI solet conclusio argumentis Theologicis.

PRIMUM, quia docent Theologi ex Patribus & Concil. manere in Eucharistia accidentia sensibilia omnia: atqui quantitas est accidens sensibile. Ergo & illa manet, vide Lug. d. 10. de Euchar. Q. 1. Sed negabunt Nominales minores. Negant enim quantitatem esse accidens substantiæ, cum illam identificent substantiæ.

SECUNDUM argumentum est. Si quantitas identificaretur substantiæ, identificaretur etiam Corpori Christi: si identificaretur Corpori Christi, poneretur vi verborum, nam vi verborum sicut ponitur Corpus, ita poni de-

TERTIUM argumentum est: Quia Trident. Sess. 13. docet, manere in Eucharistia accidentia panis. Ergo si illic manet quantitas, debet illa esse accidens substantiæ panis. Vid. Tridentinum.

OBJICITUR I. Nulla est necessitas distinguendæ quantitatæ.

RESPONDETUR. Necessitatem distinctionis probari factis probationibus.

OBJICITUR II. Si quantum redderetur Corpus, per superadditam quantitatem, etiam non quantum redderetur, sublatione superadditæ entitatis. Sed potest reddi non quantum sine sublatione entitatis, quod ipsum probatur. Potest reddi minus quantum sine ablatione entitatis. Ergo & potest reddi non quantum sine ablatione entitatis. Antecedens probatur. Potest reddi Corpus bicubitale solummodo cubitale, si illud DEus redigat ad spatium cubitale. Ergo potest reddi minus quantum, sine sublatione alicujus superadditi.

RESPONDETUR. Possè aliquid reddi minus quantum, spectatâ quantitate quoad id, quod est illi secundarium, & aliunde etiam, quàm à quantitate acquisibile, qualis est extensio ad locum, quæ etiam Spiritibus competit; sed non potest reddi minus quantum, quantitate spectatâ quoad id quod est illi primum, nempe extremitas partium in ordine ad se, non potest inquam ita reddi minus quantum, sine ablatione quantitatis; respicit hæc Responsio, quod quantitas definitivè non sit extensio in ordine ad locum.

OBJICITUR III. ex Pontio. Quantitas non habet ex se præcisè, extendere quantum in ordine ad locum: nam Christus in Eucharistia habet suam quantitatem, sine hac extensione locali, nec item habet ex se præcisè quantitas, ut expellat aliam loco, nam Corpus gloriosum quodcunq; quantum penetrat. Ergo debet illi supervenire aliquid supra entitatem ejus absolutam, quod reddat eam & extensivam & impenetrabilem. Ergo quantum refundi debet in illud aliud: sed illud aliud non est quid absolutum, cum neq; sit quantitas nec qualitas. Ergo est aliquid respectivum: sed illud respectivum posset æquè facere partes substantiæ extensas & impenetrabiles, ac partes quantitatis absolutæ. Ergo frustra ponitur quantitas, quæ sit aliquid absolutum.

RESPONDETUR. Non inquiri hæc, an quantitas debeat esse quid respectivum an absolutum, sed an distinctum realiter? Quod magis adhuc procedit in principiis Scotistarum ac Thomistarum, distinguendum realiter etiam relationem. Deinde per nos primò essentialis conceptus quantitatis, est, extremitas partium in ordine ad se, quam extremitatem, semper res retinet dum retinet quantitatem, in ordine autem ad illos secundarios effectus, non

indiget superaddito, sed solâ negatione impediti. Nego ulterius, quod tale extremitativum partium in ordine ad se, non sit quid absolutum; Nego item, quod non sit quantitas. Deniq; adlatæ obsunt rationes, ne per identitatē, Quantitas, faciat partes substantiæ, extensas.

INSTABIS primò ex eodem. Ex impenetrabilitate tam substantiæ, quàm accidentium, colligitur dari quantitas absoluta; sed id provenire posset ab aliquibus respectibus, aut ab aliquo distincto à quantitate absoluta, sicut impenetrabilitas ipsiusmet formæ absolutæ, quæ dicitur quantitas, provenit ab aliquo alio distincto.

RESPONSUM jam, hæc non quæri; an relativum sit quid quantitas, sed an distinctum realiter. Hinc Scotistæ distinguunt relationem realiter, negabunt hoc ipso, quia quantitas est quid respectivum, non esse realiter distinctum. Sententia autem identificans relationem, adhuc assumet, quamvis relatio sit quid indistinctum realiter, relativum tamen potest esse distinctum realiter; nam habitus, modus &c. sunt quid relativum, nec tamen identificantur. Negatur item, impenetrabilitatem in quantitate, ab alio provenire distincto ab eadem, modò non ponatur impedimentum, imò posito, quod impenetrabilitas in quantitate ab alio habeatur, quàm ab illa ipsa, urgeret paritas, etiam in substantia extensionem in ordine ad se, ab alio haberi debere.

INSTABIS secundò ex eodem. Substantia, quod uniatur uni, & non uniatur alteri parti immediatè, seu extremitas partium in ordine ad se, habetur ex unionem, ita ut si varietur uniones, varietur extensio, extremitas etiam in ordine ad locum, provenit à præsentis. Ergo ad nihil requisita est quantitas.

RESPONSUM supra, ut immediatè collum uniatur capiti, habetur ex unionem, ut autem immediatè uniatur simul cum extremitate, habetur interventu quantitatis, hinc, re, spoliata omni quantitate, est unio inter caput, collum, & reliqua membra quoad entitatem spectata, eaq; immediata, sed non est unio cum extremitate, de quo etiam actum supra. Extremitas etiam in ordine ad locum, secundum solam indistantiam à loco, habetur à præsentis, sed non secundum extremitatem in ordine ad se.

OBJICIUNTUR IV Paritas es aliqua, **PRIMA.** Quantitas discreta, v. g. esse unius, esse duorum, non distinguitur à re quanta. Ergo & quantitas permanens.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia quantitas discreta, non aliud est nisi singularitas seu hæcceitas, quæ identificatur rei, ut aliunde suppono. Et certè si spoliatur singularitas à re existenti, non erit universalis, universalis enim non existunt, natura autem illa existet. Quod si non esse universalis; Ergo esset singu-

DISPUTATIO X.

271

singularis, quod enim inter hæc medium? Nullum autem est fundamentum identificandi quantitatem substantiæ, imò propter rationes adlatas, oppositum convinci debet. Et certè maiorem habet connexionem cum ratione entis existentis, quantitas discreta, præ quantitate permanenti. Hinc etiam Ens spirituale, non potest non habere quantitatem discretam, hoc est rationem unius, possibile autem est rem existentem, quantitate permanenti carere, ut de facto eà carent spiritualia.

SECUNDA PARITAS. Quantitas successiva v. g. tempus, non distinguitur à motu, Ergò nec quantitas.

RESPONDETUR disparitatem esse, quia in definitione temporis ponitur motus; & tempus, præter motum, est mera moralitas:

esse autem extensum, est quid Physicum; nec definitivè quantitas, est substantia.

TERTIA PARITAS est. Intensio non est distincta à re intensa, Ergò nec extensio à re quanta.

RESPONDETUR. Nec intensio à qualitate, nec extensio aliàs explicata, à quantitate distinguitur; cum hoc tamen stat, ut sicut qualitas à intensa, ita & quantitas à substantia, distinguatur.

OBJICITUR V. Possibilis est quantitas identificata, nec est ratio, cur non sit de facto identificata. Ergò.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum de qualitate identificata, aut quocunque alio accidenti. Quicquid sit de possibili, quòd de facto non sit identificata, probant rationes adlatæ.

DISPUTATIO X.

DE COMPOSITIONE CONTINUI.

OB dicenda infra, aliter titulus formari deberet, sed loquendum est cum multis.

PRÆMITTO *Notionem terminorum* in hac materia usitatorum, dum loquimur de partibus quantitatis, ejusque compositione.

PRIMUS TERMINUS. *Partes aliquotæ.* Per aliquotas partes, intelliguntur partes, quarum unaquæque nihil accipiendo de parte altera, una cum aliis sibi æqualibus, aliquam extensionem certam conficit. v. g. in ligno tripalmari, unusquisque palmus, est pars aliquota, nam unusquisque nihil participando de alio palmo, tripalmare quantum constituit. Vocantur insuper hæ partes, æquales uni certæ.

SECUNDUS TERMINUS. *Partes proportionales,* quæ nihil aliud sunt, quàm partes, quæ ex aliquo quanto diviso, proportionaliter minores & minores accipiuntur. v. g. si ex uno palmo, semipalmi, ex semipalmis, medietates, ex medietatibus, alia minora dimidia, accipiuntur &c. Vocantur autem proportionales, quia quæ est proportio illarum duarum inter se, illa proportio est aliorum duorum, ex quibus accipiuntur. Nam sicut semipalmi duo, constituunt palmum, ex quo accipiuntur, ita duo palmi, constituunt bipalmare, ex quo itidem accipiuntur.

Nihilominus rigorosè loquendo semipalmi si comparentur ad palmum, possunt dici partes proportionales, accipiuntur enim ex palmo, sed comparati inter se bene dici possunt partes aliquotæ, tam enim in bipalmari, duo palmi de se non participant, quàm in palmari.

Hæ ipsæ vocantur *Communicantes*, quia una participat ex alia, ut semipalmi ex palmo.

Vocantur item *Inæquales*, quia nonnisi minores & minores accipi possunt. Hinc ex uno

palmo non possunt accipi duo palmi, sed duo semipalmi, quorum unusquisque singillatim acceptus, minor est palmo.

Vocantur item *Indeterminate*, non quod non habeant esse suum certum, & determinatum à parte rei, si enim sunt à parte rei, determinatæ sunt, nihil enim indeterminatum existit: Sed vocantur indeterminatæ, quia scilicet in sententia Aristotelica, nulla illarum, ita est determinatæ & limitatæ parvitas, ut illa minor dari non possit. Et ita semipalmi sunt partes indeterminatæ, non determinantur enim, quin in alias medietates minores dividi possint, & hæ in alia dimidia, & sic in infinitum.

TERTIUS TERMINUS. *Indivisibile* seu punctum, cujus pars ut inquit Euclides nulla est.

QUARTUS TERMINUS. *Linea*, quæ est ex Euclide Longitudo latitudinis expers.

QUINTUS TERMINUS. *Superficies* est ea, quæ longitudinem latitudinemque tantum habet. Hoc prænotato. *Sic.*

QVÆSTIO I.

De Continui permanentis Compositione in aliorum sententia.

Uas potissimum sententias in præsentia examinabimus. PRIMO an Continuum permanens componatur ex indivisibilibus? quæ sententiam defendit Zeno, ex recensioribus Arriaga, Herize, Toletus & alii. SECUNDO an componatur ex partibus proportionalibus, in infinitum divisibilibus? quæ sententia tribuitur Aristoteli estque communis. Posset etiam examinari, an componantur ex punctis inflatis? sed eam apud alios impugnata vide.